


DE RATIONE
STOICA IN PERSII SATIRIS
APPARENTE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ET

DIE XVII. MENSIS IULII A. MDCCCLXVII

PUBLICE DEFENDET

FRANCISCUS KNICKENBERG

TELGETENSIS.

MONASTERII,

TYPIS IOSEPHI KRICK.

MDCCCLXVII.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

SCRIPTOR.

Stoicum fuisse Persium poetam apparet tum ex vita eius quae extat[1]), tum ex sat. V. versu 64, quo ipse Cleanthis vestigia se pressisse declarat. Neque obiter tantum perlectis Persii satiris quemquam effugiet eum inter huius scholae philosophos esse habendum. Quare ejus satiras prorsus non intelliges, nisi adhibita semper ratione Stoica, virique docti, qui in explicandis eis versati sunt, ubi Stoicorum dogmatum aliquid poetica ratione profertur, legentis oculos in Zenonis philosophiam intendere non omiserunt.

Nec tamen universae Persii rationis investigatio hucusque instituta est, nec diiudicatum ubique video, quatenus anxie scholae veteris doctores sequutus sit, quidve ipse, vel quae tum temporis vigebat ratio cogitandi, novi intulerit in eius philosophiam. Quam investigationem, si quid per vires et aetatem in tractando obscurissimo Romanorum poeta proficere possum, non inutilem fore spero, quippe quae haud pauca conferat tum ad Persii obscuritatem magnam partem e philosophia ortam tollendam, tum ad judicium proferendum

[1]) Pers. Sat. ed. Jahn. p. 233; ed. Heinrich p. 48; Achaintre prol. p. 14.

de eo, utrum poetae maior sit laus an philosophi acumen, tum ad cognoscendum illius temporis rationis Stoicae statum. Ea enim satiris eius non solum materiam praebuit, sed etiam incitamentum, ut eas componeret. Nam Persius ad satiras conscribendas odio in pravos aequalium mores, ad illud odium tum innato boni virtutisque amore, tum severa Stoicorum disciplina compulsus esse videtur.

Omnia fere Stoicorum dogmata satiris tetigit, sed quum imprimis in moribus castigandis versetur, ea praecipue spectat, quae ad ethicam philosophiae partem pertinent. In quibus exponendis ea mihi optima visa est via, ut propositis Stoicorum veterum vel aequalium sententiis locos afferam e Persii satiris, qui ad eas referendi videntur. Ordinem retinui, qui inter Stoicos valebat in tractanda philosophia, ita ut primum quaeramus, quid sit philosophia, deinde quae sint ejus partes, denique ad logicam, physicam, ethicamque ipsam perveniamus.

Logica quidem et physica exceptis iis, quae in satiris exstant de diis sententiis, in disputatione nostra nullum fere habebunt locum, quum non sit satirici de iis rebus quid sentiat versibus mandare, sed in moribus potius describendis corrigendisque versari.

Caput I.

De philosophia quid cogitaverint Stoici Persiusque.

Omnes fere loci, quibus dilucide, quid Stoici veteres de philosophia eiusque fine censuerint disseritur, in unum hoc conveniunt, ut philosophiam esse studium tum virtutis tum sapientiae dicant.

Ita Plutarchus:[1])

„*Οἱ — Στωικοὶ ἔφασαν τὴν μὲν σοφίαν εἶναι θείων*
„*τε καὶ ἀνθρωπίνων ἐπιστήμην, τὴν δὲ φιλοσοφίαν*
„*ἄσκησιν τέχνης ἐπιτηδείου· ἐπιτήδειον δ᾽ εἶναι μίαν καὶ*
„*ἀνωτάτω τὴν ἀρετήν.*“

Consentit Seneca:

„Philosophia sapientiae amor atque affectatio.“

„Philosophiam quoque fuerunt, qui aliter atque aliter
„finirent; alii studium virtutis esse dixerunt, alii studium
„corrigendae mentis,“ (quod idem esse ac studium vir-

---

[1]) De plac. phil. I. prooem.

tutis facile apparet;) „a quibusdam dicta est appetitio „rectae rationis“ (sapientiae).[1])

Virtus autem apud Stoicos proprie nihil significat nisi perfectionem animi eiusque dispositionem in quaque re optimum maximeque perfectum appetendi, quem habitum *διάθεσιν* appellabant.[2]) Quae *διάθεσις*, quam Cicero adfectionem animi appellat,[3]) quum hominis animus in cognitione naturae, in perpendendis iis, quae facienda evitandave, vel in meditando de ipsius cogitandi ratione versari possit, ad tres partes pertinet, ad physicam, ethicam et logicam. Ita Plutarchus adducitur, ut apud Stoicos tres praecipue virtutes esse dicat in prooemio de plac. phil.[4])

Stoica igitur ratio ab una virtute, quam generalem appellare nobis liceat, descendit ad singulas tres, physicam, ethicam, logicam. Attamen haec virtutis virtutumque significatio jam a veteribus Stoicis non distincte retinebatur, quum ex his tribus unam appellarent praecipue virtutem, dispositionem illam, quae ad mores solos vitamque bene ac recte instituendam pertineret.

---

[1]) Epist. 89, 4; 5; cf. Cicero de off. II, 2. 5; Tusc. V, 2. 5; III, 20, 47; Clem. Al. strom. ed. Sylburg p. 70. a; 136. a; 284 (a); 594 (b); Brandis Gesch. der Entwickelungen der griechischen Philosophie II. p. 80; Ritter, Gesch. der alten Philos. III, p. 529; Ritter et Preller, hist. philos. Graec. et Rom. p. 361.

[2]) „Τὴν ἀρετὴν διάθεσιν εἶναι ὁμολογουμένην·“ Diog. Laert. VII, 88. „… …Κοινότερον δέ τὴν ἀρετὴν διάθεσιν εἶναί φασι ψυχῆς „περὶ ὅλον τὸν βίον.“ Stob. ecl. II, 104. (ed. Heeren.)

[3]) Tusc. IV, 15, 34.

[4]) Cicero de off. III. 7, 2.

Jam Zenonem voce ἀρετῇ hoc sensu usum esse intelligitur ex Diog. Laert.:

„Διόπερ πρῶτος ὁ Ζήνων ἐν τῷ περὶ ἀνθρώπου φύσεως „τέλος εἶπε τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, ὅπερ ἐστὶ „κατ᾽ ἀρετὴν ζῆν.“[1])

De sapientia apud Stoicos hae inveniuntur sententiae:

„Quidam et sapientiam ita quidem finierunt, ut dicerent „divinorum et humanorum scientiam; quidam ita: sa„pientia est nosse divina atque humana atque horum cau„sas. Supervacua mihi videtur haec adiectio, quia causae „divinorum humanorumque pars divinorum sunt.“

„Sapientia ars est, certum petit.“ [2])

„Nam sapientiam quidem ipsam quis negare potest „non modo re esse antiquam verum etiam nomine? quae „divinarum humanarumque rerum, tum initiorum cau„sarumque cuiusque rei cognitione hoc pulcherrimum „nomen apud antiquos adsequebatur.“ [3])

„Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis de„finitum est, rerum divinarum et humanarum causa„rumque, quibus eae res continentur, scientia.“ [4])

Ex his locis Stoicorum sententia mihi apparere videtur, sapientiam esse scientiam rerum humanarum divinarumque. Sapiens igitur et deos esse et quales sint qualisque omnis

---

[1]) Cf. Stob., ecl. II, 132; 140; Senec., ep. 50, 7; 8; 66, 32; 94, 45; Cic., de off. II, 5, 18.

[2]) Senec., ep. 89, 5; 29, 3.

[3]) Cicero, Tusc. 3, 7.

[4]) De off. II. 2, 5.

natura ab iis procreata, cognitum habet; deinde sui ipsius indolem novit, qualis sit natura, quid huic aptum quidve contrarium, quid faciendum evitandumque, ut vere sit homo neve declinet in peius exuatque humanitatem.

Philosophia igitur et studium virtutis est, quam apud Stoicos recentiores positam esse in dispositione ad integritatem morum vidimus, et studium sapientiae, quae est scientia rerum humanarum divinarumque.[1])

Persium quoque eadem ratione de hac re cogitasse sequi mihi videtur ex versibus:

„Discite, io miseri, et causas cognoscite rerum:
„Quid sumus, et quidnam victuri gignimur; ordo
„Quis datus, aut metae qua mollis flexus et unde;
„Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
„Utile nummus habet; patriae carisque propinquis
„Quantum elargiri deceat; quem te deus esse
„Jussit, et humana qua parte locatus es in re.“ [2])

Quos versus si accuratius inspexeris, facile de philosophia sermonem esse eiusque summa capita poetam tetigisse intelliges. Versibus praecedentibus fingitur miser quidam temporis perversa studia sequutus, quem vitiis obrutum libidines ita tenent, ut iam quid agat, quidve velit nesciat. Comparat poeta talem hominem cum puero, qui in diem vivit, testa lutoque corvos sequitur, cui quid homini sit propositum ante oculos non versetur:

---

[1]) Plutarchus de plac. phil. I. prooem. vid. pag. 3.
[2]) Satir III, 66. sqq.

v. 58. „Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta
„Oscitat hesternum, dissutis undique malis!
60. „Est aliquid quo tendis, et in quo dirigis arcum?
„An passim sequeris corvos testaque lutoque,
„Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?"

Deinde Stoico more[1]) similitudinem affert corpore aegrotantis cum eo, qui animo aeger est:

„Helleborum frustra, quam iam cutis aegra tumebit,
„Poscentes videas: venienti occurrite morbo!
„Et quid opus Cratero[2]) magnos promittere montes?"

Sed Persius non solum, quod est satirici, hominum perversitatem acerbe perstringit, sed etiam, quod est philosophi, ad bonum virtutemque adducere miseros vult.

Vitiis, sive iis rebus, quas tangit poeta illis versibus, virtutem oppositam esse, unus quisque facile intelliget; iis igitur, qui vitia sequuntur, opponendi sunt ii, qui virtutem sequuntur, quia vitiorum contrarium est virtutis studium.

Si igitur Persius eos, qui vitia sectantur, ad philosophiam adducit, quid tum aliud ei esse potest philosophia, quam virtutis studium? Apertum est igitur, Persium probare Stoicorum sententiam, philosophiam studium esse virtutis.

Sed eandem philosophiam sapientiae studium, sapientiam

---

[1]) Cf. Cicer. Tusc. IV, 10, 23:
„Hoc loco nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a „Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi „similitudo."

[2]) Augusti medicus celeber. (Hor. sat. II, 3, 61.)

autem scientiam rerum humanarum divinarumque esse Stoici contendunt.

Quaerendumigitur est, utrum Persius quoque ad sapientiam tendere philosophiam censuerit necne.

Si res, quas illis, quos laudavimus, versibus significat poeta complecteris, nonne habes, quas divinas humanasque esse supra vidimus? Annon verba: „Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, aut metae qua mollis flexus et unde, quis modus argento, quid asper nummus utile habet, patriae carisque propinquis quantum elargiri deceat", ad homines pertinent; contra: „Ordo quis datus, quid fas optare, quem te deus esse iussit", addito versu 66: „causas cognoscite rerum", ad deos ceteramque naturam?

His verbis poetam res divinas humanasque complexum esse atque philosophiam, quippe quae discendo harum rerum scientiam appeteret, sapientiae esse studium significasse, facile dijudicari posse censeam.

Demonstrasse igitur mihi videor ex hoc uno loco, Persium aeque ac veteres Stoicos summam philosophiae tum in virtutis, tum in sapientiae studio posuisse. Sed iam reliquos inspiciamus locos, unde eandem sententiam elicere possis.

„Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures
„Fruge Cleanthea: petite hinc puerique senesque
„Finem animo certum miserisque viatica canis!"[1])

Monet hic quoque Persius miseros illos, quos versibus praecedentibus descripsit:

[1]) Satir. V, 63 sqq.

54. „Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
„Rugosum piper et pallentis grana cumini,
„Hic satur irriguo mavult turgescere somno;
„Hic campo indulget; hunc alea decoquit; ille
„In Venerem putris; sed quum lapidosa cheragra
„Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
60. „Tunc crassos transisse dies lucemque palustrem
„Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam,"

ut vitam commutent atque aliam ingrediantur vivendi rationem, frugemque Cleantheam proponit, unde petant finem animo certum miserisque viatica canis.

Frugem Cleantheam philosophiam Stoicam esse facile apparet. Ad Zenonem non revocat Persius philosophiam Stoicam, quum discipuli eius scriptis suis majorem sibi peperissent gloriam quam Zeno ipse; quare rarissime omnino apud eos, qui de praeceptis Stoicis nobis tradunt, Zenonis fit mentio.[1]) Cleanthis autem prae ceteris Zenonis discipulis hoc loco mentionem facit, ut diligentiam severitatemque pauperis illius philosophi opponat luxuriosis divitibusque Romulidis, qui quanto illum opibus divitiisque superant, tanto ab eo vera virtute superantur. Noti sunt nocturni illi labores, quos suscepit Cleanthes, ut sese nutriret atque Zenoni praeceptori mercedem daret.[2]) Eos igitur, qui vitia vel temporis perversitatem sequuntur, iterum ad philo-

[1]) Cf. Diog. Laert. VII, 91. v. p. 12. Stob. ecl. II, 152; Brandis l. c. II. p. 59.

[2]) Cf. Diog. Laert. VII, 168.

sophiam Stoicam revocat, unde petant certum animi finem. Sed quis est, qui Persium vitia ex philosophia Stoica repetenda putavisse credat? Is igitur, cui certus finis est propositus in quaque re virtutem bonumque sequetur; quapropter a Persio in virtutis studio summam philosophiae positam esse non est quod negemus. Huc quoque spectat sat. V, 104:

— „Tibi recto vivere talo

„Ars dedit."

Ars enim est vocabulum, quod apud Stoicos ad significandam philosophiam erat usitatissimum [1]); recto vivere talo [2]) est bene agere in omnibus rebus virtutemque semper sequi; et sat. V, 38.

— „Tum fallere sollers

„Apposita intortos extendit regula mores;"

ubi „regula" nihil aliud esse potest nisi philosophia.

In iis, quae exposuimus, virtutem et sapientiam tamquam res diversas distinuimus; quas nihilominus et apud Stoicos veteres et apud Persium idem fuisse ex iis, quae allaturi sumus, apparebit.

---

[1]) Cf. Plut. de plac. phil. prooem.: „Τὴν δὲ φιλοσοφίαν (sc. οἱ Στωικοὶ „ἔφασαν εἶναι) ἄσκησιν τέχνης ἐπιτηδείου. „Τέχνην" finiebant esse „σύστημα ἐκ καταλήψεως ἐμπειρίᾳ συγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ." Senec. ep. 29: „Sapientia ars est, certum petit;" ep. 95, 8; „At haec (sapientia), quae artem vitae professa est nulla re, quominus se exerceat, impediri potest." Cic. Tusc. II, 4, 12: „Philosophus in ratione vitae peccans hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur artemque vitae professus delinquit in vita." Plut. de tranqu. anim. p. 467 B: „ἄτεχνοι."

[2]) Graecorum ὀρθοποδεῖν ἐν τῷ βίῳ. Cf. Turneb. Adv. XVIII, 12. Vid. Plum. a. h. l.

Sapientia enim est scientia;[1]) virtus est διάθεσις τῆς ψυχῆς, (Cf. p. 4.) dispositio animi; vel quum Seneca in definienda philosophia virtutis studium appetitionem rectae rationis vel corrigendae mentis esse velit, dispositio mentis vel rationis.[2]) Sed quum neque intelligamus, neque sciamus quidquam nisi ratione, sapientia quoque dispositio rationis est. Studium igitur sapientiae aeque ac studium virtutis est studium rectae rationis: sequitur, ut virtus idem a Stoicis habeatur, quod sapientia.[3])

Persio quoque sapientiam idem fuisse quod virtutem, sive recte beneque vivere ex sat. V, 104 sqq. apparet. Describit enim his versibus poeta eum, quem sapientem nominari vult:

„Tibi recto vivere talo
„Ars dedit, et veri speciem dinoscere calles,
„Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?
„Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim,
„Illa prius creta, mox haec carbone notasti?
„Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
„Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes?
„Inque luto fixum possis transcendere nummum,
„Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?

---

[1]) Senec., cp. 89.

[2]) Cic., Tusc. V. 13, 39.

[3]) Sapientiam esse virtutem omnes quidem, qui rationem Stoicam tractaverunt, contenderunt, sed dilucidior ab iis haec res habita esse mihi videtur, quam quae demonstraretur exponereturque. Cf. Ritter et Preller. hist. philos. Graec. et Rom. Nr. 395 pag. 361.

„Haec mea sunt, teneo, quum vere dixeris, esto
„Liberque ac sapiens, praetoribus ac Iove dextro.“

Hoc loco sapientem non ut sat. III, 66 sqq. eum esse exhibet, qui scientia rerum humanarum divinarumque sit praeditus, sed eum, qui praecepta moralia sequatur. Quid enim aliud est notare illud, quae sequenda sint quaeque evitanda vicissim, haec carbone, illa creta, quam nosse officia virtutisque praecepta? Quid aliud, esse modicum voti, presso lare, dulcem amicis, astringere nunc granaria, nunc laxare, nummum in luto fixum posse transcendere, quam summa praecepta moralia sequi? Qui igitur virtutem sequitur, eum sapientem nominat poeta. Quare virtus est sapientia, neque alio modo ad sapientiam accedi potest, nisi praecepta virtutis observantur.

Multi quidem philosophorum, qui vocantur Socratici, summum hoc receperunt dogma, virtutem, quum esset sapientia, esse scientiam boni atque recti; sed ante omnia Stoici in ethica hoc velut primum summumque tenebant, ut virtutem ponerent in scientia; quare doceri posse eam contendebant; immo singulas, quae cernuntur in vita communi virtutes appellabant scientias — *ἐπιστήμας.*[1])

*„Διδακτὴν δ'εἶναι (λέγω δὲ τὴν ἀρετὴν) καὶ Χρύσιππός
„φησι καὶ Κλεάνθης καὶ Ἑκάτων. ὅτι δὲ διδακτή ἐστιν,
„δῆλον ἐκ τοῦ γίγνεσθαι ἀγαθοὺς ἐκ τῶν φαύλων.“*[2])

---

[1]) Cf. Stob. ecl. II, p. 111 sqq.

[2]) Diog. Laert. VII. 91.

„*Ταύτας μὲν οὖν τὰς ῥηθείσας ἀρετὰς τελείας εἶναι*
„*λέγουσι περὶ τὸν βίον καὶ συνεστηκέναι ἐκ θεωρημάτων.*
„— — *πάσας δὲ τὰς ἀρετὰς, ὅσαι ἐπιστῆμαί εἰσι καὶ*
„*τέχναι, κοινά τε θεωρήματα ἔχειν καὶ τέλος.*" [1])
„Ab iis definitionibus, quas breviter poeta comprehendit,
„M. Tullius traxit officia vivendi, Panaetium Stoicum
„secutus; virtutem esse dixit, scire, quid sit bonum et
„malum, quid turpe, quid honestum;" [2])
„Virtus est hominis, scire id, quod quaeque habeat
„res, virtus scire homini rectum, utile, quid sit
„honestum." [3])
„Nullius rei difficilior scientia est, quam vivendi; —
„vivere tota vita discendum est, et quod magis fortasse
„mirabere, tota vita discendum est mori. Tot maximi
„viri relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis
„voluptatibus renuntiassent, hoc unum in extremam
„usque aetatem egerunt, ut vivere scirent." [4])
„Rationis enim perfectio est virtus." [5])

Dogma illud virtutem esse scientiam boni rectique a Socrate ad Zenonem translatum esse videtur per Cratetem Cynicum, cuius discipulum per longum tempus fuisse Zenonem tradunt. In Cynicorum scholam per Antisthenem ipsum receptum erat, virtutem positam esse in *φρονήσει.*

---

[1]) Stob. ecl. II, p. 108; etiam p. 102. omnes virtutes ἐπιστήμας nominat.

[2]) Lactant. divin. instit. IV, 5:

[3]) Lucilii versus ibid.

[4]) Senec., de brevit. vitae c. 1.

[5]) Cicero de fin. bon. et mal. IV. 13, 35.

„Ἀρέσκει δὲ αὐτοῖς καὶ τὴν ἀρετὴν διδακτὴν εἶναι, καθά „φησιν Ἀντισθένης ἐν τῷ Ἡρακλεῖ."

„Τεῖχος ἀσφαλέστατον φρόνησις." [1])

„Τοῦ Ἀντισθένους—τὸ Δεῖν κτᾶσθαι νοῦν ἢ βρόχον." [2])

Etiam Zeno omnes virtutes ad φρόνησιν revocasse dicitur. [3])

Persium hac quoque in re Stoicos sequutum esse, iam ex eo elucet, quod virtutem esse sapientiam satiris suis exponit. Praeterea apertis verbis in satiris, quum depingat hominem sapientia atque virtute praeditum, summam ei tribuit laudem, quod sciat, quid malum sit quidve bonum. Ita sat. V, 104 ante omnia sapientis esse effert, „callere veri speciem dinoscere, notare, quae sequenda quaeque evitanda sint."

„Tibi nunc, hortante Camena,
„Excutienda damus praecordia, quantaque nostrae
„Pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
„Ostendisse iuvat; pulsa, dinoscere cautus,
„Quid solidum crepet. [4])"

---

[1]) Diog. Laert. VI, 105. 113.

[2]) Plut. de Stoic. repugn. 14.

[3]) V. Plut. de Stoic. repugn. 7; Diog. Laert. VII, 125. — Multa Antisthenis praecepta Zenonem retinuisse elucet ex libro, quem composuit de re publica; „Τινὲς ἔλεγον παίζοντες ἐπὶ τῆς τοῦ κυνὸς οὐρᾶς αὐτὴν (τὴν πολιτείαν) γεγραφέναι." Diog. Laert. VII, 4; Cf. Plut. de Alex. fort. I, 6; Sext. Emp. hyp. III, 189 sqq; ibid. 245; Diog. Laert. VII, 3; 121; 187.

[4]) Satir. V, 21 sqq.

Cornutum, quem sine ulla dubitatione hominem bonum ac sapientem veneratur poeta, non majore laude efferri posse arbitratur quam additis verbis, „dinoscere“ eum cautum esse. Sapientiam igitur ea potissimum causa ei tribuit, quod quid verum aut falsum sit, quid bonum aut malum, sciat cognitumque habeat.

„Quumque iter ambiguum est et vitae nescius error“
„Deducit trepidus ramosa in compita mentes.[1]“

Se ipsum, quum nondum pervenisset ad sapientiam virtutemque, dicit in errore versatum esse vitae nescio, quem errorem vitae nescium ad solam scientiam, non ad agendum pertinere quis est, qui neget? Quum igitur virtus scientia sit, ad eam nullo modo pervenire possumus nisi discendo. Ita Stoicis, ita Persio placebat. Quid enim sibi vult, quod hominem vitiis obrutum, quum virtutem sapientiamque ei proponat assequendam, ut discat monet? Annon discendo cognoscendoque, quid sit homo, quid dii, quid faciendum evitandumque, scientia harum rerum petitur? Nonne igitur versibus III 66 et 73 virtutem et doceri et disci posse monet poeta?[2])

Ex iis, quae iam exposuimus, Persium quod ad virtutem attinet accurate veterum Stoicorum vestigia pressisse, plane mihi apparere videtur.

Neglexit quidem eorum de virtute generali sententiam, sed retinuit Socraticum illud, virtutem esse scientiam docerique

---

[1]) Ibid. 34 sqq.
[2]) Vid. p. 6 et cap. II, ubi hi versus accuratius exponuntur.

posse; quare hominem bonum sapientemque fieri non agendo, sed eo, quod sciret cognitumque haberet, quid bonum esset, quid malum. Praetermittere enim non posse homines docebant Stoici, quin quae bona honestaque intellexissent, sequerentur. [1])

Quae de virtute disseruimus, lucem quandam afferre mihi videntur ad dijudicandum tertiae satirae argumentum. Quamvis enim multa a viris doctis ad investiganda ea, quae tractaverit hac satira poeta, collata sint, tamen summam Persii rationem adhuc in obscuro esse arbitror. Longum est, omnium interpretum sententias, quum in idem fere omnes redeant, laudare; afferre mihi liceat, quae Iahnio placuerint:

> „Scripta vero est haec satira de iis hominibus, qui cum „philosophia magistra, quae sola ad recte vivendum „viam monstrat ac munit, cognitum habeant, quid „bonum sit, quid pravum, tamen, quae est humanae „naturae debilitas, optimam ducem sequi non sustinent, „et bene conscii, quid delinquant, perditorum tamen „exemplum imitantur, qui inde tamen excusantur, quod „nesciunt, quid perdant.“ [2])

Sed hoc argumentum neque ei, quam Persius sequitur, rationi consonare mihi videtur, neque omnes satirae versus complecti. Si quidem oculos non intendis in philosophiam Stoicam, optime quadrare videntur hominum perditorum exempla, quae profert poeta, ad comprobandam Jahnii sententiam.

---

[1]) Cf. Cicero de leg. I, 23, 60.
[2]) L. c. p. 121.

Primis enim versibus fingitur iuvenis, qui studiis quidem philosophiae, ut tum temporis solebant omnes, sese dedit, sed scientiae virtutisque amore non ita affectus est, ut abstinere possit a voluptatibus, quas praebent Liber deus et Venus. Patet ei ad sapientiam aditus, sed labore quem suscipiat necesse est ad eam assequendam, deterretur; poenam quamquam novit venturam, nihilominus quum non statim adsit, non timet. Immo vero sibi persuadet, divitias atque stemmatis gloriam satis esse ad beate vivendum.

Versu 88 seqq. aegrotantem nobis proponit, qui aegrum se esse bene cognitum habet ideoque auxilium petit a medico, qui requiescere eum neque iis frui, quae vehementer moveant sanguinem, iubet. Per tres quidem dies obligat eum medici consilium iussumque, sed simulac compositas currere videt venas, quae est naturae debilitas, rursus incidit in pristinum naturae suae statum; resistere nequit voluptatis impetui, licet poenam venturam esse pro certo habeat. Postremo medicus ipse et quicunque eum convertere vult, ei molestus fit; aures claudit ad consilia eorum qui melius intelligunt, quid sit eventurum.

Tertium, quod sequitur, exemplum claudicat, si quidem vis naturae debilitatem tractare poetam hac satira, neque ab ipso Iahnio ad hoc argumentum relatum est.

Sed Iahnii sententia magis confirmari videtur vers. 52 seqq:

„Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores.
„Quaeque docet sapiens braccatis illita Medis

„Porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus
„Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta;
„Et tibi quae Samios deduxit littera ramos
„Surgentem dextro monstravit limite.“ etc. (p. 7.)

Scire quidem iuvenem dicit poeta, quid sit rectum, quid bonum, didicisse, quae iubeat philosophia [1]), attamen naturae resistere nequire, sed ea duci se sinere ad inanes voluptates.

Quatuor igitur haec exempla posita esse videntur Iahnio a Persio, ut quam debilis sit natura hominum, quantumque repugnent inter se virtus et ingenium ad voluptatem nimis propensum ostendat causamque hominum perversitatis eam solam esse doceat, quod ratio voluntasque non satis firma sit ad vincendam naturam, quae nihil cum diis habeat commune, sed ad animalia spectet iisque nos reddat similes.

Quod si verum esset, dubitari non posset, quin summa sapientiae virtutisque a poeta posita esset non in scientia recti bonique, sed in vincenda turpi humanae naturae debilitate. Scire ipsum homini nihili aestimandum esset, quum naturae debilitate ei non liceret, ea sequi, quae bona esse intellexisset. Progressum deinde a scientia ad agendum ipsum, ab intelligendo, quid sit bonum, ad sequendam virtutem, Persius satira

---

[1]) Primum quidem vers. 53 Persius universam significat Stoicam rationem voce „Porticus;“ deinde ad significandam ethicam imaginem repetit e Pythagoreorum disciplina, qui in praeceptis moralibus tradendis saepissime συμβολικῶς loquebantur. Eiusmodi imagines plenissime collegit Iamblichus protrept. 21. De littera Samia cf. Serv. ad. Virg. Aen. VI, 136 et Pers. V, 35 (Jahn p. 155).

tertia ne dicam difficillimum, omnino fieri non posse affirmavisset.

Quodsi igitur Persius scelera ex infirmitate voluntatis ut duceret totam satiram tertiam eamque amplissimam scripsisset, unusquisque eum summo Stoicorum dogmati repugnavisse itaque nullo modo Stoicis adnumerandum esse facile intellecturus esset. Aut satira tertia aliam quandam rem quam debilitatem naturae perstringit poeta, aut Stoicus omnino non est.

Sed apud Iahnium prol. ad. Persium XXII legitur:

„Quantam vero vim Stoica philosophia, qua eum „imbuit (Cornutus) in Persii animum atque poemata „exercuerit, vel leviter intuentibus patet, cum non „modo satirae eius maximam partem in eo versentur, „ut Stoica dogmata explicent, verum etiam tota eius „aestimandi atque scribendi ratio inde pendeat.“

Et LXVIII:

„Attamen haec verae satirae vestigia tam rara sunt, „ut eo clarius appareat, satiras hasce, ut jam diximus, „quam maxime disputationes esse e Stoicae philosophiae „scholis prognatas.“

Id certe elucet, Jahnium sibi ipsi repugnare, quum contendat Persium et Stoicum fuisse et illud argumentum tractasse, quod non Stoici philosophi esse intelleximus.

Sed ne levius rem gravissimam tetigisse videamur, plura iam adjiciemus, quae aliud satirae esse argumentum quam

quod interpretes hucusque proposuerunt, demonstrare mihi videantur.

Notissimum est illud, quod sequebantur Stoici in ethica praeceptum: „Sequere naturam.“

„Τὸ δὲ τέλος ὁ μὲν Ζήνων οὕτως ἀπέδωκε, τὸ ὁμο-„λογουμένως ζῆν. τοῦτο δ' ἐστὶ καθ' ἕνα λόγον καὶ σύμφωνον „ζῆν, ὡς τῶν μαχομένων ζώων κακοδαμονούντων. οἱ δὲ „μετὰ τοῦτον προσδιαρθροῦντες οὕτως ἐξέφερον· „ὁμολο-„γουμένως τῇ φύσει ζῆν“, ὑπολαβόντες ἔλαττον εἶναι „κατηγόρημα τὸ ὑπὸ τοῦ Ζήνωνος ῥηθέν. Κλεάνθης γὰρ „πρῶτος διαδεξάμενος αὐτοῦ τὴν αἵρεσιν προσέθηκε „τῇ „φύσει“ καὶ οὕτως ἀπέδωκε· „τέλος ἐστὶ τὸ ὁμολογουμένως „τῇ φύσει ζῆν.“ ὅπερ ὁ Χρύσιππος σαφέστερον βουλόμενος „ποιῆσαι ἐξήνεγκε τὸν τρόπον τοῦτον· „ζῆν κατ' ἐμπειρίαν „τῶν φύσει συμβαινόντων.[1])“

„Natura enim duce utendum est. Idem est ergo beate „vivere et secundum naturam.[2])“

Sed quid sit haec Stoicorum natura quaeri potest.

Naturae vocis etsi vaga est significatio neque ubique satis distingui potest, tamen, si sermo fit de hominis natura, non agi putem nisi de proprio eius ingenio, quo differt a ceteris animalibus; quod rationem esse, facile est intellectu.

Persium Zenonis illud „sequere naturam“ probavisse ostendunt versus sat. V, 93—99:

---

[1]) Stob. ecl. II, 132. Cf. Diog. Laert. VII, 87 et Plut. de rep. Stoic. 9.

[2]) Senec. ad Gallion. VIII, 2; cf. ibid. III, 3 et. Ben. IV, 25.

„Non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
„Officia atque usum rapidae permittere vitae:
„Sambucam citius caloni aptaveris alto.
„Stat contra ratio et secretam garrit in aurem,
„Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.
„Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
„Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.“

De homine agitur, qui domini manumissione praetorisque vindicta veram se assequutum esse libertatem arbitratur. Errare eum dicit Persius, quum non penes praetorem sit lex summa publicaque, quam omnes homines, sive Romani sint, sive non, sequantur necesse sit, si bene recteque vivere velint. Quam legem duplici modo significat. Versum enim 98:

„Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,“

eundem sensum praebere ac si scripserit poeta: „Publica lex hominum, natura, continet hoc fas,“ — apertum est.

Publica lex est natura, quum sit communis omnibus hominibus, neque intersit, qua in civitate vivatur. Hoc igitur ex versu intelligi posse puto, Persium summum ethicae Stoicae placitum: „sequere naturam“ retinuisse.

Non opus erat poetam hanc naturam, quid qualisque sit, pluribus verbis circumscribere; in dubio esse non possumus, quid naturae voce significatum sit: attamen versu 96 accuratius *rationem* sibi illam publicam legem naturamque hominum esse declarat. Nam idem fere, quod de natura, de ratione quoque dicit, eam legem esse nobis atque „contra

stare," ne liceat facere, quod recte nos facturos non certo sciamus."

Multi quidem interpretes tollendos esse putaverunt duos ex his quatuor versibus, quum idem exprimerent mutatis solis verbis, sed id spectasse mihi videtur Persius, ut nec quid esset r a t i o, nec quid n a t u r a, in dubio esse posset legentibus. Poeta igitur non solum naturam legem summam esse, e Stoicorum doctrina sumpsit, sed etiam naturam ei esse rationem ex satiris constat. Repugnaturum sibi ipsi Persium fuisse, si satira quinta naturam esse sequendam, contra satira tertia naturam esse reiiciendam dixisset, in aperto est.

Jahnius quidem, quum naturam humanam debilem esse dicat, aliam significat naturam, quam quae Stoicorum est; in animo habet voluntatem, quam ad pessima quaeque pronam esse docet religio Christiana, quum libidines affectusque peccato originali perpetrato tantam vim habeant, ut homo, quamvis sciat, quid faciendum sit, tamen virtutem sequi nequeat.

Haec est Christianorum natura humana, quae quidem Stoicis erat ignota, quum animi affectus non ad naturam debilem fragilemque humanam referrent, sed c o n t r a n a t u r a m esse dicerent. Stoicorum natura est ratio, neque debilis, sed rectrix totius vitae humanae.

„Omnem enim naturam necesse est, quae non soli-
„taria sit neque simplex, sed cum alio iuncta atque

„connexa habere aliquem in se principatum, ut in „homine mentem.[1]" — Principatum autem id dico, „quod Graeci *ἡγεμονικόν* vocant, quo nihil in quoque „genere nec debet nec potest esse praestantius.[2]"

„*Οἱ Στωϊκοί φασιν· Ὅταν γεννῇ ὁ ἄνθρωπος, ἔχει τὸ „ἡγεμονικὸν μέρος τῆς ψυχῆς.*" . . . „*Οἱ Στωϊκοί φασιν „εἶναι τῆς ψυχῆς ἀνώτατον μέρος τὸ ἡγεμονικόν, τὸ „ποιοῦν τὰς φαντασίας καὶ τὼς συγκαταθέσεις καὶ αἰσθήσεις „καὶ ὁρμά· καὶ τοῦτο λογισμὸν καλοῦσιν.*[3]"

„Sed praesta est domina omnium et regina, ratio, „quae connixa per se et progressa longius fit perfecta „virtus.[4]"

„*Πάσης γὰρ φύσεως καὶ ψυχῆς ἡ καταρχὴ τῆς κινήσεως „γίγνεσθαι δοκεῖ ἀπὸ ἡγεμονικοῦ καὶ πᾶσαι αἱ ἐπὶ τὰ „μέρη τοῦ ὅλου ἐξαποστελλόμεναι δυνάμεις ὡς ἀπό „τινος πηγῆς τοῦ ἡγεμονικοῦ ἐξαποστέλλονται, ὥστε πᾶσαν „δύναμιν τὴν περὶ τὸ μέρος οὖσαν καὶ περὶ τὸ ὅλον εἶναι „διὰ τὸ ἀπὸ τοῦ ἐν αὐτῷ ἡγεμονικοῦ διαδίδοσθαι.*[5]"

„*Ἡγεμονικὸν δ' εἶναι τὸ κυριώτατον τῆς ψυχῆς.*[6]"

„*Ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἐν σοι τὸ κράτιστον τίμα. ἔστι δὲ „τοῦτο τὸ ἐκείνῳ τῷ θείῳ ὁμογενὲς καὶ γὰρ ἐπί σου τὸ*

[1]) Cic. de nat. deor. II, 28.
[2]) Ibid. II, 11.
[3]) Plut. de plac. phil. IV, 11 et 21.
[4]) Cic. Tusc. IV, 21.
[5]) Sext. Emp. adv. Math. IX, 192.
[6]) Diog. Laert. VII, 159.

„τοῖς ἄλλοις χρώμενον, τοῦτό ἐστιν, καὶ ὁ σύςβίος ὑπὸ „τούτου διοικεῖται.[1]"

Si igitur Jahnii sententia vera esset, Persius non solum ex Stoicorum philosophorum, sed omnino ex philosophorum numero eximendus esset, quum duabus illis satiris diversas inter se contrariasque sequeretur sententias.

Satira igitur tertia non de iis hominibus scripta esse potest, qui quamquam bene sciunt, quid sit rectum, quid faciendum, tamen naturae debilitate impediuntur, quominus virtutem sequantur.

Quodsi Persium inter Stoicos referre volumus, fontem vitiorum, quae satira tertia perstringit, eum repetiisse credamus necesse est non a naturae debilitate, sed a ratione ad discernenda bona malaque parum acuta; homines suae aetatis odio persequitur, non quod natura eorum debilis, sed quod ratione eaque disciplina, qua bene excolitur, omnino abutuntur. Quae disciplina quum sit philosophia, satiram tertiam scripsisse mihi videtur ad ostendendam perversam suae aetatis rationem philosophandi.

Denotat igitur non eos, qui virtutem petentes, quominus ad eam accedant naturae debilitate impediantur, sed eorum exagitat stultitiam, qui tangantur quidem philosophiae praeceptis, sed leviter tantum, ut haereant in erroribus neque satis excolant rationem. Omnes quidem se philosophos esse putant, qui frequentent scholas audiantque, quae Socrati,

---

1) Anton. V, 21.

Zenoni, aliis placuerint; sed audire satis esse opinantur neque persuasum sibi habent, vera esse ea, quae praecipiantur a sapientibus. Hinc vitia, hinc errores et peccata. Voluptatem praeferunt virtuti, cuius fructus multo dulciores esse nesciant; labores metuunt suscipiendos ad assequendam virtutem, quam unum esse bonum ignorent.

Ex eiusmodi hominibus, qui se philosophos esse putent, sed revera non sint, petivit poeta exempla, quae nobis ad castigandam temporis perversitatem proponit. Quid enim aliud est iuvenis illius irrisus, quem philosophiae se dedisse ostendunt vers. 10 et 11:

„Iam liber et positis bicolor membrana capillis
„Inque manus chartae nodosaque venit arundo,"

qui nihilominus „effluit amens", quam iuvenum omnium cavillatio, qui speciem quidem philosophandi virtutisque amoris ad melius non vertantur? Monet istos poeta, ne satis esse arbitrentur ad beate vivendum divitias gloriosumque stemma — „ad populum phaleras" —, sed virtutem solam petendam esse; quod ne longius differant, monet, quum sit adhuc „udum et molle letum."

— „Nunc, nunc properandus et acri
„Fingendus sine fine rota [1])"

Si enim homo

„Stupet otio, fibris increvit opimum pingue, [2])"

---

[1]) v. 23 seq.
[2]) v. 32 seq.

accedere ad virtutem iam non potest; saevissima ei instat poena.[1])

Puerum quidem severo philosophiae studio operam dare nemo exspcctabit neque vitio ei dabitur, si diverticula quaerit ad evitandum laborem; nam pueri non est virtutem sequi:

„Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
„Grandia si nollem morituri verba Catonis
„Dicere et insano multum laudanda magistro,
„Quae pater adductis sudans audiret amicis.
„Jure; etenim id summum, quid dexter senie ferret,
„Scire erat in voto.[2])"

Sed quum sis iuvenis aetate adultus, quum scias, quid sit philosophia atque ea sola te duci posse ad virtutem, alia iam agere nec voluptatis vinculis teneri debes.[3])

Nihilominus

„Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta
„Oscitat hesternum, dissutis undique malis![4])"

Repetit deinde, quod iam supra dixit homini diutius in vitiis versato difficillimum esse ad virtutem aditum:

„Helleborum frustra, quum iam cutis aegra tumebit,
„Poscentes videas: venienti occurrite morbo![5])"

Iam sequuntur versus, quos si Jahnii ceterorumque sententiam probaveris, omnino ad id, quod proposuerunt argu-

---

[1]) Vid. vers. 38—53 infra.
[2]) v. 44 seqq.
[3]) Cf. v. 52—57. p. 17.
[4]) v. 58 seq.
[5]) v. 63 seq.

mentum, referre non poteris. Hominem enim induci volunt a poeta, qui quamquam cognitum habeat, quid sit bonum rectumque, tamen propter naturae debilitatem virtutem sequi nequeat.

Sed si tenemus, quam Persius sumpsit, similitudinem animo aegri cum aegrotante corpore, intelligemus ei, qui habeat remedium morbi atque sciat, quid sit faciendum, ut tollatur malum, nihil esse reliquum, quam ut revere sequatur medici praecepta. Sumenda igitur medicina aegrotanti, gustandum de potu, quamvis sit amarus. Nihil jam refert, medicum verba facere aegrotoque ostendere, quid sit malum, quid sit faciendum, si sanari velit; morbus certe non lenitur, si aeger ipse praeceptis medici non utitur.

Ita animo quoque aegrotanti, qui quid sit faciendum, quid sequendum evitandumque philosophia doctus sit, nihil iam restat, quam ut vere agat secundum regulas, quas ei apposuit ars vitae.

Is igitur, de quo Persius vers. 52 sqq. dicit:

„Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores etc.“

quum nihilominus aegrotet neque se abstinere possit a vitiis, id unum, ut voluntatem suam ad devincendam naturam confirmet, agat necesse est experiaturque, quid praestare possit. Ita certe suasurus esset is, qui sola naturae debilitate ad vitia pelli talem hominem existimaret.

Attamen miro quodam modo talem hominem, qui iam didicerit, quae philosophis placuerint, iterum atque iterum non ad agendum, sed ad discendum tractandamque philosophiam revocat, ita ut aegrotanti idem remedium, quod nihil

profuisse poeta aeque atque aeger ipse compertum habeat, mutatis solis verbis denuo det. Nonne ineptias facere videtur poeta?

Jahnius quidem in explicandis versibus 52—57 et 66—76 in nostram sententiam it atque naturae debilitatem omittit, ad versus 52—57 annotans: „Tu tamen non potes comparari puero, qui philosophiae operam dedisti et quid rectum sit, bene nosti;“ et ad versus 66—76: „Eadem ratione vitiis obviam eundum est studiis philosophicis, quae virtutem docent et alunt.“

Sed difficultas interpretandi coniungendique inter se illos locos omnino nulla est, si sequimur eam, quam attulimus, satirae explicationem.

Uterque enim locus de philosophia agit atque eo solum differunt inter se, quod altero loco philosophiae studiosum nobis proponit poeta, qui nihil nisi philosophiae speciem habeat, altero vero philosophiam depingit veram, quae illi perversae opposita sit. Id poeta agit, ut quid intersit inter veram philosophiam et quod tum Romae maxime florebat studium frequentandi scholas leviterque audiendi philosophorum doctrinas denotet. Ita iuvenes huius falsae philosophiae studiosi memoria quidem, sed non ratione, quae docet Porticus, percipiunt; atque philosophia tali modo tractata nihil omnino valet neque evincere potest naturae debilitatem. Id assequentur ii soli, qui ad veram philosophiam attento severoque animo accedant; qui non solum audiant, sed vere

discant easque omnes res complectantur, quae ad veram philosophiam pertineant.

Tum eveniet, quod de se ipso dicit poeta:

„Et premitur ratione animus vincique laborat,
„Artificemque tuo ducit sub pollice vultum etc.[1]"

Ita optime conjunguntur versus 52—57 cum versibus 66—76 atque referri possunt ad totius satirae argumentum.

Accedit, quod versibus, qui sequuntur, poeta pergit de philosophia dicere, iuvenes virtutis studiosos adhortans, ne populi perversi irrisu a verae philosophiae studio deterreantur.

Deinde inducit poeta alium quendam, qui corpore aegrotat. Minime quidem hunc effugit, morbo se affectum esse; medico enim dicit:

„Inspice! nescio quid trepidat mihi pectus et aegris
„Faucibus exsuperat gravis halitus; inspice, sodes![2]"

Sed sicut philosophi, qui dicuntur, philosophiam, ita aeger hic morbum levissimae sibi habet curae paullatimque eo pervenit, ut iam non aegrum se esse persuasum sibi habeat:

„Heus, bone, tu palles! — Nihil est.[3]"

repudietque amicos medicumque, qui summo in periculo eum versari contendunt:

„At tu deterius palles! „„Ne sis mihi tutor;
„Iam pridem hunc sepeli: tu restas.[4]""

---

[1]) Satir. V, 34—40. Vid. cap. III, 1.

[2]) Satir. III, 88 seq.

[3]) v. 94.

[4]) v. 95 seq.

Nec mirum, quod talem hominem levitatis inscientiaeque poenas dare quam severissimas poeta ostendit:

„Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,
„Gutture sulfureas lente exhalante mefites;
„Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
„Excutit e manibus, dentes crepuere retecti,
„Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
„Hinc tuba, candelae, tandemque beatulos alto
„Compositus lecto crassisque lutatus amomis
„In portam rigidas calces extendit: at illum
„Hesterni capite induto subiere Quirites.[1]“

Tertium deinde exemplum gravissimo argumento confirmat sententiam nostram. Nihil enim hic invenies de naturae debilitate, nihil de homine, qui compertum sibi habet, quid sit faciendum, quid evitandum; non agitur nisi de inscientia hominis levius de ipsius animi statu judicantis quam verum philosophum deceat, qui virtutem sequi sese opinetur, nescius, quid revera sit virtus et quomodo eam assequatur.

„Tange, miser, venas et pone in pectore dextram. —
„Nil calet hic. — Summosque pedes attinge manusque —
„Non frigent — [2]“

Attamen:

„Alges, quum excussit membris timor albus aristas;
„Nunc face supposita fervescit sanguis et ira

---

[1]) v. 98—106.
[2]) v. 107 seqq.

„Scintillant oculi, dicisque facisque, quod ipse
„Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes."

Haec fere habui dicenda de tertiae satirae argumento. Inde efficitur, tum ut Persius sibi ipsi non repugnet satira tertia et quinta, tum ut in Stoicorum disciplina maneat poeta, denique ut rem tractet philosopho dignissimam, quippe qui virtutum vitiorumque summum perscrutetur fontem, quum e contrario satiram de debilitate naturae conscribere sit res vulgaris philosophoque minime digna.

Persium igitur vidimus satira tertia castigare eos, qui philosophorum nomine contenti rem ipsam vel perverse vel omnino nullo modo tangant.[1]) Maxime respicere mihi videtur Epicureos leves, in quos saepius invehitur:

„Indulge genio, carpamus dulcia! nostrum est
„Quod vivis; cinis et manes et fabula fies,[2])"

ubi *εἰρωνικῶς* eorum placitis assentitur, quibus opponit severam illam Stoicorum disciplinam, de cuius acerbitate legimus:

„Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto;[3])" —
„Sed quid opus teneras mordaci radere vero
„Auriculas?[4])"

---

[1]) „Quidam veniunt, ut audiant, non ut discant, sicut in theatrum „voluptatis causa ad delectandas aures oratione vel voce vel fabulis „ducimur. Magnam hanc auditorum partem videbis, cui philosophi „schola diversorium otii sit; non id agunt, ut aliqua illo vitia „deponant, ut aliquam legem vitae accipiant, qua mores suos exigant, sed ut oblectamento aurium perfruantur." Senec. ep. 108, 6.

[2]) Satir. V, 151 sq. cf. IV, 17 sqq.

[3]) Satir. V, 86.

[4]) Satir. I, 107. cf. III, 23 seq. (vid. p. 25.)

Caput II.

De philosophiae partibus.

Tres erant apud Stoicos philosophiae partes: moralis naturalis, rationalis.

„*Τριμερῆ φασιν εἶναι τὸν κατὰ φιλοσοφίαν λόγον· τὸ μὲν „φυσικόν, τὸ δὲ ἠθικόν, τὸ δὲ λογικόν. Οὕτω δὲ πρῶτος „διεῖλε Ζήνων ὁ Κιττιεὺς ἐν τῷ περὶ λόγου, καὶ Χρύ„σιππος κ. τ. λ.*[1])"

„*Ἀρετὰς δὲ τὰς γενικωτάτας τρεῖς, (εἶναι ἔφασαν οἱ „Στωικοὶ) φυσικήν, ἠθικήν, λογικήν. δι᾽ ἣν αἰτίαν καὶ „τριμερής ἐστιν ἡ φιλοσοφία. ἧς τὸ μὲν φυσικόν, τὸ δὲ „ἠθικόν, τὸ δὲ λογικόν.*[2])"

„Philosophiae tres partes esse dixerunt et maximi et „plurimi auctores[3]): moralem, naturalem, rationalem."

---

[1]) Diog. Laert. VII, 39.

[2]) Plut. de plac. philos. prooem.; Cf. Sext. Emp. adv. Math. VII, 15,

[3]) Senec. ep. 89, 9, cf. 88, 28.

„Totam philosophiam in tres partes diviserunt (Platonis „auditores), quam partitionem a Zenone esse retentam „vidimus.[1])“

Persium hanc Stoicorum veterum partitionem accurate secutum esse ex satiris concludere non possumus; immo vero versus III, 66 sqq., quibus totam philosophiam circumscribit, aberrasse poetam docent illosque secutum esse, qui novi aliquid intulerint tum in Stoicam doctrinam, tum in universam philosophandi rationem. Inter quos Panaetius et Posidonius, qui Romanis tradiderant Stoicorum philosophiam, ad mutandam rationem veterum Socraticorum quod attinet et ad formam et ad res ipsas, quae tribuuntur philosophiae, multum contulerunt; ad quam mutationem imprimis eo adducti sunt, quod veteres Stoici de virtute non satis distincte disseruerant, quippe qui non solum eam virtutem, quam physicam, logicam atque ethicam complecti supra vidimus, sed etiam eam, quae solos mores vitamque spectaret, virtutis voce appellarent. Philosophiam igitur et ad illam et ad hanc virtutem tendere voluerunt, neque ad moralem solam, quam etiam nos virtutem appellare solemus.

Hanc virtutem apud eos segregari non potuisse a virtute illa generali, ut ita dicam, ex imaginibus quoque elucet, quibus ad exprimendum nexum philosophiae partium utebantur.

„Εἰκάζουσι δὲ ζώῳ τὴν φιλοσοφίαν, ὀστοῖς μὲν καὶ „νεύροις τὸ λογικὸν προσομοιοῦντες, τοῖς δὲ σαρκω„δεστέροις τὸ ἠθικόν, τῇ δὲ ψυχῇ τὸ φυσικόν. ἢ πάλιν

[1]) Cicer. de fin. IV, 2, 4.

„ᾠῷ. τὰ μὲν γὰρ ἐκτὸς εἶναι τὸ λογικόν, τὰ δὲ μετὰ „ταῦτα τὸ ἠθικόν, τὰ δ᾽ἐσωτάτω τὸ φυσικόν. ἢ ἀγρῷ „παμφόρῳ. τὸν μὲν περιβεβλημένον φραγμὸν τὸ λογικόν, „τὸν δὲ καρπὸν τὸ ἠθικόν, τὴν δὲ γῆν ἢ τὰ δένδρα τὸ „φυσικόν. ἢ πόλει καλῶς τετειχισμένῃ καὶ κατὰ λόγον „διοικουμένῃ. καὶ οὐδὲν μέρος τοῦ ἑτέρου προκεκρίσθαι, „καθά τινες αὐτῶν φασιν, ἀλλὰ μεμῖχθαι αὐτά. καὶ τὴν „παράδοσιν μικτὴν ἐποίουν.[1])“

Sed postea quum philosophia ad Romanos deferretur, quos de omnibus rebus eas tantum sumpsisse constat, quae usum in vita utilitatemque quandam prae se ferrent, philosophi nexum, qui inesset in tribus illis partibus, partim omnino non intellexerunt, partim tenere noluerunt. Diripuisse eos, quae Diogen. Laert. VII, 40 et Sext. Emp. adv. Math. VII, 17: („τὰ μέρη τῆς φιλοσοφίας ἀχώριστά ἐστιν ἀλλήλων“) separari noluerant, ex Senec. epist. 89 elucere mihi videtur: „Sapientis quidem animus totam molem eius (sc. „philosophiae) amplectitur, nec minus illam velociter obit „quam caelum acies nostra; nobis autem, quibus perrumpenda „caligo est, et quorum visus in proximo deficit, singula quae- „que ostendi facilius possunt, universi nondum capacibus.“

Sejunctas igitur tractabant posteriores physicam, logicam et ethicam. Ethica quae ad mores spectaret, facile praevalebat[2]); physicam quidem, ex qua ethica magnam partem

[1]) Diog. Laert. VII, 40.

[2]) „Ὁ πρῶτος καὶ ἀναγκαιότατος τόπος ἐστὶν ἐν φιλοσοφίᾳ τῆς „χρήσεως τῶν θεωρημάτων. οἷον τὸ μὴ ψεύδειν.“ Epict. man. 52.

effluer, omnino omittere non poterant; sed logicam aut negligebant aut omnino non tractabant.[1])

Persius logicae se non ignarum fuisse indicat V, 83—86, ubi falsam nobis proponit rationis conclusionem, et VI, 80 ubi de Chrysippi Stoici sophismate loquitur.

Sed quomodo cohaereat logica cum ceteris philosophiae partibus, nullo modo ex satiris perspici potest.

Physicae pluribus locis fit mentio. Ita e Stoicorum ratione sumpsisse mihi videtur sententiam:

„Gigni
„De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.[2])"

Quamquam enim omnes fere philosophi veteres hoc summum physicae placitum proponunt, nihil est, quod Persium his verbis Stoicam physicam tetigisse negemus. Physicae quidem etiam de diis quaestionem tribuebant Stoici, sed quae de iis placuerint Persio, capite quarto explanabimus. Sed apertis verbis de physica eiusque nexu, quem habet cum ethica, agitur III, 66 sqq., quos versus jam pag. 6. laudavimus. Qui locus interpretibus magnam praebuit difficultatem; quamvis enim multa attulerint viri doctissimi, tamen omnes haerere mihi adhuc videntur. Videamus, num ratione Stoica adhibita in lucem proferre sensum possimus.

„Discite" absolute positum est a poeta et significat: Tractate philosophiam, studiis operam date; discendo enim

---

[1]) Diog. Laert. VII, 43; 91; Sen. ep. 49.
[2]) Satir. III, 84.

pervenietis ad scientiam, scientia ad sapientiam, sapientia ad virtutem. Sed Persius non solum hortatur ad tractandam philosophiam, sed addit simul, ad quae prima accedas necesse sit, ut in vera philosophia verseris finemque eum assequaris qui philosophiae propositus sit. Verbis enim: „et causas cognoscite rerum“ digitum intendit in physicam, unde philosopho egrediendum Stoici censebant. Physicae erat causas cognoscere et res ipsas; natura enim, quam considerat physica, complectitur materiam et causam materiae.

„Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum na-
„tura, ex quibus omnia fiant, causam et materiam,
„materia iacet iners, res ad omnia; parata, cessatura,
„si nemo moveat.“

. . . „Decreta vero sapientiae in abdito; sicut sanctiora
„sacrorum tantum initiati sciunt,' ita in philosophia
„arcana illa admissis receptisque in sacra ostenduntur:
„at praecepta et alia eiusmodi profanis quoque nota
„sunt. Posidonius non tantum praeceptionem, nihil
„enim nos hoc verbo uti prohibet, sed etiam suasionem
„et consolationem et exhortationem necessariam indicat;
„his adjicit causarum inquisitionem, etymologiam.[1]“

„Rerum autem cognitiones — propter se adsciscendas
„arbitramur.“ —

[1] Senec. ep. 65, 2; 95, 65; cf. nat. quaest. VI, 3.

„Nam sapientiam quidem ipsam quis negare potest „non modo re esse antiquam, sed etiam nomine? Quae „divinarum humanarumque rerum, tum initiorum „causarumque cuiusque rei cognitione hoc pulcherrimum „nomen apud antiquos adsequebatur. [1])“

Quibus omnibus locis id potissimum physicae munus significatum est, ut rerum naturam eorumque causas inquireret.

Stoici a physica proficiscebantur, quum de ethica instituerent quaestionem; nam natura cognita sequebatur, quid malum, quidve bonum esset.

„Physicae quoque non sine causa tributus idem est „honos ut virtutis nomine appellaretur a Stoicis, „propterea quod, qui convenienter naturae victurus „est, ei proficiscendum est ab omni mundo atque ab „eius procreatione.“ — Circumscriptis igitur iis sen„tentiis, quas posui, et iis, si quae similes earum sunt, „relinquitur, ut summum bonum sit vivere scientiam „adhibentem earum rerum, quae natura eveniunt, seli„gentem, quae secundum naturam, et quae contra na„turam eius rejicientem, id est convenienter congruenter„que naturae vivere. [2])“

„Δεῖ γὰρ τούτοις συνάψαι τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν „λόγον, οὐκ οὔσης ἄλλης ἀρχῆς αὐτῶν ἀμείνονος, οὐδ᾽ „ἀναφορᾶς, οὐ δ᾽ ἄλλου τινὸς ἕνεκεν τῆς φυσικῆς θεω-

---

[1]) Cicer. de fin. III, 5, 17; Tusc. V, 3, 7.
[2]) Cicer. de fin. III, 22, 73; III, 9, 31.

„ρίας παραληπτῆς οὔσης ἢ πρὸς τὴν περὶ ἀγαθῶν ἢ „κακῶν διάστασιν.[1]"

„Ἴσον ἐστὶ τὸ κατ᾽ ἀρετὴν ζῆν τῷ κατ᾽ ἐμπειρίαν τῶν „φύσει συμβαινόντων ζῆν, ὥς φησι Χρύσιππος ἐν τῷ „πρώτῳ περὶ τελῶν· μέρη γάρ εἰσιν αἱ ἡμέτεραι φύσεις „τῆς τοῦ ὅλου.[2]"

„Si simul atque ortus esset, se quisque cognosceret „judicareque posset, quae vis et totius esset naturae et „partium singularum, continuo videret, quid esset hoc, quod quaerimus, omnium rerum, quas expetimus, sum„mum et ultimum, nec ulla in re peccare posset.[3]"

Iam versu:

„Discite, io miseri et causas cognoscite rerum!"

Persius legentes quasi introducit in philosophiam, deinde versibus, qui sequuntur, physicam ipsam, qualis sit, accuratius exponit summamque ex ea effert quaestionem de hominis ipsius natura. Ea enim perquisita Stoici quum homiuem legi cuidam subjectum esse statuebant, tum qualis haec lex esset dicebant. Priusquam enim explicarent, qualis haec lex esset, omnino esse legem iis probandum erat; quod et sublimitate generis humani et miro totius naturae ordine probabant.

Quum enim homo totius mundi sit summum atque caput[4]), immo vero finis; simul cum praestantia, qua antecellit ceteris

[1]) Plut. de Stoic. rep. 9.
[2]) Diog. Laert. VII, 87.
[3]) Cicer. de fin. V. 15, 41.
[4]) Stob. I, 444; Cic. de fin. III, 20, 67.

animalibus, dignitatem quandam suscepit; quae quum natura non data sit, ut dejiciatur, officium quoque subiit eam servandi. Dignitatem igitur semper ante oculos versari necesse est homini, ne agat quidquam, quod ei repugnet dedeceatque tali praestantia corporis animique praeditum. Hinc legem oriri haud difficile intelligitur.

Stoici igitur quum multum versentur in efferenda hominis sublimitate praestantiaque, id solum agere mihi videntur, ut dignitatis commonefaciant homines officiique eam servandi eaque faciendi, quae revera hominem deceant. Legem igitur positam esse nobis sequitur considerata humana sublimitate.

„*Σὸν γὰρ τοῦτ' ἐστιν; τὸ δοθὲν ὑποκρίνασθαι πρόσωπον καλῶς.*[1])“

„*Τῶν ἐν τῷ κόσμῳ τὸ κράτιστον τίμα· ἔστι δὲ τοῦτο τὸ*
„*πᾶσι χρώμενον καὶ πάντα διέπον· ὁμοίως δὲ καὶ τῶν*
„*ἐν σοὶ τὸ κράτιστον τίμα· ἔστι δὲ τοῦτο τῷ ἐκείνῳ*
„*ὁμογενές.*[2])“

„Major sum et ad majora genitus, quam ut mancipium
„sim corporis mei . . .“

„Quum quaeritur, quare hominem natura producerit,
„quaeritur, quare praetulerit ceteris animalibus, longe
„me judicas mores reliquisse? . . .“

„Multis videmur majora promittere quam recipit hu-
„mana conditio: non immerito; ad corpus enim re-

---

[1]) Epict. man. 17 (23).
[2]) Anton. V, 21.

„spiciunt: revertantur ad animum: iam hominem deo „metientur . . .“

„Natura enim homo mundum atque elegans animal est.“

„Cogitavit nos ante natura quam fecit; nec tam leve „opus sumus, ut illi potuerimus excidere.[1])“

„Nobis autem personam imposuit ipsa natura magna „cum excellentia praestantiaque animantium reli„quarum.[2])“

Alteram viam, qua a physica ad ethicam pervenirent‘ petivisse mihi videntur Stoici ex ordine miro in mundo apparente.

Homo est naturae pars; naturam vero perquirenti facile elucebit, omnia, quae in ea sunt, miro quodam ordine disposita esse.

„Nec vero illa parva vis naturae est rationisque, quod „unum hoc animal (sc. homo) sentit, quid sit ordo, „quid sit, quod deceat. Itaque eorum ipsorum, quae „adspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudi„nem, venustatem, convenientiam partium sentit. Quam „similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum „transferens multo etiam magis pulchritudinem, con„stantiam, ordinem in consiliis factisque conservandam „putat cavetque, ne quid indecore effeminateve fa„ciat.“ . . .

---

1) Senec. ep. 65, 21; 121, 3; 71, 6; 95, 12; de benef. VI, 23. 5.
2) Cicer. de off. I, 27.

„Sed nos quum dicimus natura constare administrari-
„que mundum, non ita dicimus, ut glaebem aut frag-
„mentum lapidis aut aliquid eius modi nulla cohae-
„rendi natura, sed ut arborem, ut animal, in quibus
„nulla temeritas, sed ordo apparet et artis quaedam
„similitudo. [1])"

Mundus e Stoicorum ratione non est moles rudis, sed opus ratione procreatum, immo ipsa ratio atque deus.

„Ὅτι ἐστὶ καὶ ζῶον ὁ κόσμος καὶ λογικὸν καὶ ἔμψυχόν [2])."

„Λέγει δ' (ὁ Χρύσιππος) ἐν τῷ πρώτῳ περὶ προνοίας·
„Διόλου μὲν γὰρ ὢν ὁ κόσμος πυρώδης εὐθὺς καὶ ψυχή
„ἐστιν ἑαυτοῦ καὶ ἡγεμονικόν [3])."

„Ἔστι δὲ φύσις ἕξις ἐξ αὑτῆς κινουμένη κατὰ σπερματι-
„κοὺς λόγους, ἀποτελοῦσά τε καὶ συνέχουσα τὰ ἐξ αὑτῆς
„ἐν ὡρισμένοις χρόνοις [4])."

„Pergit idem (Zeno) et urget angustius: Nihil, inquit,
„quod animi quodque rationis est expers, id generare
„ex se potest animantem compotemque rationis. Mundus
„autem generat animantes compotesque rationis. Ani-
„mans est igitur mundus composque rationis. [5])"

Quum igitur omnia certum ordinem sequantur, neque ordo servari possit sine lege certa, homo sine lege esse nullo

---

1) Cicer. de off. I, 4, 14; de nat. deor. II, 32, 82.
2) Diog. Laert. VII, 142.
3) Plut. de Stoic. rep. 41.
4) Diog. Laert. VII, 148.
5) Cicer. de nat. deor. II, 8, 22.

modo potest; cavendum ei, ne ordinem turbet neve locum teneat, qui sibi non sit datus. Ita quoque Arrianus dicit:

„Πολίτης εἶ τοῦ κόσμου[1]);"

et Cicero:

„Ut enim histrioni actio, saltatori motus non quivis, „sed certus quidam est datus, sic vita agenda est certo „genere quodam, non quolibet.[2])"

Quae lex qualis sit, quidve praecipiat, altera est quaestio, quae vera morali philosophiae parti tribuenda est. Haec lex Stoicis erat illud sequere naturam, de quo jam supra disseruimus.

Paullo fusius hanc rem tractavimus, quo melius Persii versus 66 sqq. intelligantur.

Verba enim „quid sumus"? pertinent ad Stoicorum physicam; verba „metae qua mollis flexus et unde" et „quis modus argento etc." ad ethicam. Verba interjecta „quidnam victuri gignimur, ordo quis datus," quibus vers. 66 et 68 inter se conjunguntur, exprimunt nexum, qui est inter physicam et ethicam. Nam duci nos significat Persius a physica ad ethicam tractandis quaestionibus: „Quid victuri gignimur?" et „Ordo quis datus?"

---

[1]) Diss. II. 10.

[2]) De fin. III, 7, 24 cf. Senec. ep. 95. Etiam Ritterus hinc legem oriri hominibus memorat: „Indem nun die Stoiker die ganze Welt einem allgemeinen Gesetze unterordneten, mussten sie es auch für nothwendig erachten, dass ein jeder Theil der Welt sich diesem Gesetze unterordne." Geschichte der alt. Philos. III, 629.

Duae hae quaestiones ad duas illas rationes referendae sunt, quibus legem quandam hominibus positam esse e physica duxisse Stoicos supra vidimus.

Verbis enim: „Quidnam victuri gignimur" nos ad sublimitatem praestantiamque generis humani revocat poeta; verbis: „Ordo quis datus" ad ordinem, quem universus mundus omnisque natura sequitur. Nam quaestio: „Quidnam victuri gignimur," eadem fere est atque haec: „Quidnam sumus?" [1])

Quam sublime Stoici de hominibus cogitaverint, jam supra explicavimus. Verba: „Ordo quis datus" alii alio modo interpretati sunt. Plurimi quidem Persium cogitasse putaverunt de fato Stoico, ita ut ordo positus esset pro fato. Acutissime Jahnius et Heinrichius imagine usum esse poetam ostenderunt, sumta a ludis circensibus et arte aurigandi, ita ut ordo esset locus, quem sorte ductum tenebant aurigae certantes. Ex eorum sententia ordo positus est pro loco in ordine serieque; sed haec verba ad imaginem, qua usus est poeta verbis: „Aut metae qua mollis flexus et unde" pertinere mihi non videntur, quum mea quidem sententia ordo sit illa Stoicorum *τάξις*, quae quocunque vertimus oculos, in mundo cernitur. „Ordo quis datus" positum est pro: Qui locus tibi est datus in ordine mundi; caveas ne turbes illum, sed obtineas eum locum, qui homini sit destinatus.

---

[1]) „Ὁ μὴ εἰδὼς πρὸς ὅτι πέφυκεν, οὐκ οἶδ' ὅστις ἐστίν." Anton. VII, 44.

Monstrat igitur poeta his verbis alteram viam, qua pervenirent Stoici natura perquirenda ad constituendam legem, quam sequeretur homo necesse esset.

Quam interpretationem si sequimur, nulla jam restare mihi videtur verborum obscuritas. Primum enim nos hortatur Persius uno verbo „discite“ ad suscipiendam philosophiam, deinde docet, unde egrediendum sit, tum quomodo perveniamus progressi a physica ad summam philosophiam, ad ethicam doctrinam; comprehendit eam verbis:

„qua mollis flexus et unde.“

Comparatio vitae humanae cum curriculo aurigaque etiam apud nos est usitata, quamquam saepius cum mari tempestuoso confertur. Ut aurigae, ita etiam cuivis homini certus finis est propositus; ars igitur aurigandi id est aurigae quod homini ars vivendi; habet ille praecepta, quae ad bigas pertinent, hic, quae ad vitam. Hoc loco non cogitandum puto de morte leni, quae sit finis vitae humanae, ut nonnulli interpretes volunt.

Versibus, qui sequuntur, poeta fusius de ethica ipsa loquitur praeceptaque singula tractat; sed neque certum ordinem, neque Stoicos sequitur.

Stoici enim hoc fere modo de ethica summisque eius capitibus disserebant. Legem unde petant, nihil habent nisi naturam. Quaerebant igitur, ad quasnam res natura ipsa impellerentur quaeque ut fugerentur proponerentur. Primum quidem quisque homo natura eo tendit, ut se ipsum conservet.

„Τὴν δὲ πρώτην ὁρμήν φασιν (οἱ Στωικοὶ) τὸ ζῷον ἴσχειν „ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτό [1])."

„Γέγονεν οὕτως τὸ ζῷον, ὥστε αὐτοῦ ἕνεκα πάντα ποιεῖν [2])."

„Natura, inquit (sc. Taurus), omnium rerum, quae „nos genuit, induit nobis inolevitque in ipsis statim „principiis, quibus nati sumus, amorem nostri et ca„ritatem, ita prorsus, ut nihil quidquam esset carius „pensiusque nobis quam nosmet ipsi. [3])"

Omnes res aut prosunt nobis, aut nocent, aut nihil omnino ad nos pertinent.

„Τῶν δὲ ὄντων φασὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ εἶναι, τὰ δὲ κακά, τὰ „δ' οὐδέτερα [4])."

Natura nos ad ea sola impellit, quae prosunt; quae vero prosunt, ea bona sunt in iisque vertitur virtus.

„Ἀγαθόν ἐστιν ὠφέλεια, ἢ οὐχ ἕτερον ὠφελείας [5])."

„Ὠφελεῖν ἐστι κινεῖν ἢ ἴσχειν κατ' ἀρετήν, βλάπτειν δὲ „κινεῖν ἢ ἴσχειν κατὰ κακίαν [6])."

Bonum est honestum.

„Λέγουσι δὲ μόνον τὸ καλὸν ἀγαθὸν εἶναι, καθά φησιν Ἑκάτων ἐν τῷ τρίτῳ περὶ ἀγαθῶν καὶ Χρύσιππος ἐν τοῖς περὶ τοῦ καλοῦ. εἶναι δὲ τοῦτο ἀρετὴν καὶ τὸ μετέχον ἀρετῆς,

---

[1]) Diog. Laert. VII, 85.

[2]) Arrian. diss. I, 19.

[3]) Gell. noct. Att. XII, 5, 7; cf. Cicer. de fin. III, 5, 16; de off. I, 4, 11.

[4]) Diog. Laert. VII, 101.

[5]) Sext. Emp. adv. eth. sect. 22; cf. Pyrrh. hypot. III, 21.

[6]) Diog. Laert. VII, 104.

ᾧ ἐστιν ἴσον τὸ πᾶν ἀγαθὸν καλὸν εἶναι καὶ τὸ ἰσοδυναμεῖν τῷ καλῷ τὸ ἀγαθόν, ὅπερ ἴσον ἐστὶ τούτῳ.[1])"

Summum bonum est, quod maxime prodest, vel quod maxime naturae convenit; virtus igitur naturam sequi debet. Deinde Stoici eo proveniunt, ut singulas virtutes, quae in vita cernuntur, exponant.

Quod ad Persium attinet hoc loco diversa miscuit atque longius ab ordine Stoico recessit. Hoc fere modo cohaerere mihi videntur sententiae:

„Discite" est hortatio ad tractandam philosophiam; „causas cognoscite rerum" — operam navate physicae, quum alia officiorum notitia esse non possit, nisi e natura repetita; ea enim perquisita scies, quid debeas deo, quid tibi ipsi, quid denique ceteris quibuscum vivis hominibus, quae res bonae sint, quae malae.

Iam officia erga deos tangit verbis: „Quid fas optare;" in nos ipsos spectant verba: „Quam te deus esse iussit;" in ceteros homines: „Patriae carisque propinquis quantum elargiri deceat"; ad ceteras res, quae usui nobis sunt: „Quis modus argento."

---

[1]) Ibid. VII, 101.

Caput III.

Stoicorum Persiique ethica sive de virtutibus vitiisque quid docuerint.

Quatuor plurimis Stoicorum placebat in sapientissimi cuiusque vita moribusque cerni virtutes: prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam.

„*Τέτταρας δὲ οἱ περὶ Ποσειδώνιον καὶ πλείονας οἱ περὶ* „*Κλεάνθην καὶ Χρύσιππον καὶ Ἀντίπατρον. — τῶν δὲ* „*ἀρετῶν τὰς μὲν πρώτας, τὰς δὲ ταύταις ὑποτεταγμένας.* „*πρώτας μὲν τάσδε, φρόνησιν, ἀνδρείαν, δικαιοσύνην,* „*σωφροσύνην.*[1]"

„Sed omne, quod est honestum, id quatuor partium „oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri soller„tiaque versatur aut in hominum societate tuenda tri„buendoque suum cuique et rerum contractarum fide „aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac

[1]) Diog. Laert. VII, 92.

„robore aut in omnium, quae fiunt quaeque dicuntur, „ordine et modo, in quo inest modestia et tem„perantia.[1])“

Diogenes Laertius quamquam alias virtutis ethicae addit partitiones, tamen illi, quam attulimus, omnium tribuit summam auctoritatem.

Seneca in tres partes dividit virtutem moralem[2]), sed retinui Chrysippi, Posidonii et Panaetii partitionem, quam sequuntur Diogenes Laertius, Cicero et Stobaeus. Singularum virtutum accuratiorem explicationem non invenies nisi apud Stobaeum; Diogenes Laertius praeter nomina solius prudentiae[3]) definitionem affert, quare eum plane omisi.

1. De prudentia.

Prudentia (*φρόνησις*) est scientia virtutum, vitiorum rerumque mediarum.

---

[1]) Cicer. de off. I, 5. cf. ibid. I, 15, 46; Tusc. III, 27. 36.

[2]) „Ergo cum tripartita sit philosophia, moralem eius partem primum „incipiamus disponere; quam in tria rursus dividi placuit, ut prima „esset inspectio suum cuique distribuens et aestimans, quanto quid„que dignum sit, maxime utilis; quid enim est tam necessarium „quam pretia rebus imponere? secunda de actionibus, tertia de „impetu.“ Ep. 89, 14.

[3]) Cf. Hübner. a. h. l.: „Recte de hoc loco judicavit Beierus excursu X ad Cic. de off. I, 5, 15; T. I. p. 332: Verbis ibi (§. 92.) extremis τὴν δὲ δικαιοσύνην substituendum haud dubie ἢ: ut duplex exhibeatur prudentiae definitio. Nam trium reliquarum virtutum definitiones excidisse videntur, facile e § 126. supplendae.“

„*Φρόνησιν δ' εἶναι ἐπιστήμην ὧν ποιητέον καὶ οὐ ποιη-*
„*τέον καὶ οὐδετέρων ἢ ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν*
„*καὶ οὐδετέρων.*[1]"

Complectitur quinque virtutes: *εὐβουλίαν*, *εὐλογιστίαν*, *ἀγχίνοιαν*, *νουνέχειαν*, *εὐμηχανίαν*.

„*Τῇ μὲν φρονήσει ὑποτάττεσθαί* (*φασιν οἱ Στωικοὶ*) *εὐ-*
„*βουλίαν, εὐλογιστίαν, ἀγχίνοιαν, νουνέχειαν, εὐμηχανίαν.*[2]"
„*Εὐβουλίαν μὲν οὖν εἶναι λέγουσιν ἐπιστήμην τοῦ ποῖα*
„*καὶ πῶς πράττοντες πράξωμεν συμφερόντως.*[3]"

Εὐβουλία igitur est scientia inspiciendi, quaenam et quo pacto gerentes utiliter quidpiam operemur. Haec virtus Persio ante oculos versatur:

„Rem populi tractas? — barbatum haec crede ma-
„gistrum
„Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae —
„Quo fretus? dic o magni pupille Pericli.
„Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
„Ante pilos venit, dicenda tacendaque calles.
„Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
„Fert animus calidae fecisse silentia turbae
„Maiestate manus. Quid deinde loquere? Quirites,
„Hoc, puta, non iustum est, illud male,
„rectius illud.
„Scis etenim iustum gemina suspendere lance
„Ancipitis librae; rectum discernis, ubi inter

[1]) Stob. l. c. p. 102.
[2]) Isd. p. 107.
[3]) Diog. Laert. VII, 93.

„Curva subit, vel quum fallit pede regula varo,
„Et potis es nigrum vitio praefigere theta[1])?"

ubi deridet eum, qui *εὐβουλίαν* virtutem jam se assequutum esse putat scireque, quid quaque in re faciendum vel evitandum sit, quamvis harum omnium rerum sit inscius. Alio loco *εὐβουλίαν* virtutem attribuit amico suo Cornuto:

„Quumque iter ambiguum est et vitae nescius error
„Deducit trepidas ramosa in compita mentes,
„Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
„Socratico, Cornute, sinu; tum fallere sollers
„Apposita intortos extendit regula mores,
„Et premitur ratione animus vincique laborat,
„Artificemque tuo ducit sub pollice vultum[2])."

Stultos, quae sint officia, quid faciendum quidve evitandum atque unde ducant harum rerum scientiam nescire exprimit in eadem satira.[3])

Eum, qui nescit, quid faciendum sit, depingit hoc modo:

„En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.
„Hunccine, an hunc sequeris?"
„Quidnam igitur faciam[4])?"

Secundam virtutem complectitur prudentia *εὐλογιστίαν.*

„*Εὐλογιστίαν δὲ (ἔφασαν) ἐπιστήμην ἀνταναιρετικὴν καὶ*
„*μὴ κεφαλειωτικὴν τῶν γιγνομένων καὶ ἀποτελουμένων.*"[5])

---

[1]) Satir. IV, sqq.

[2]) Satir. V, 34 sqq.

[3]) Vid. vers. 93 sq p. 43.

[4]) Ibid. vers. 154, 155 et 172.

[5]) Stob. l. c.

Eulogistia scientia est perscrutandi quamque rem, qualis vere sit, — scientia dinoscendi verum a specie falsa. Sapiens enim non in errorem ducitur „phaleris“ vel specie alicuius rei, sed excutit funditus omnia quaeritque quid intus habeant quantique vere sint aestimanda. —

„Etenim virtus omnis tribus in rebus fere versatur, „quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re „verum sincerumque sit . . . .“

„Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re qua- „que verissimum sit quique acutissime et celerrime „potest et videre et explicare rationem, is pruden- „tissimus et sapientissimus rite haberi solet.“

„Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et „scientiae cupiditatem, in qua excellere pulcrum puta- „mus, labi autem, errare, nescire, decipi et malum et „turpe ducimus. In hoc genere et naturali et honesto „duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cog- „nitis habeamus iisque temere adsentiamur: quod „vitium effugere qui volet, omnes autem velle debent, „adhibebit ad considerandas res et tempus et dili- „gentiam[1]).“

Huc spectare mihi videtur sat. I, 49:

— „Nam belle hoc excute totum:
„Quid non intus habet?“

quocum conferre potes Epicteti sententias:

[1]) Cicer. de off. II, 5, 18; I, 5, 16; 6, 18.

„Ἐφ' ἕκαστον τῶν ψυχαγωγούντων ἢ χρείαν παρεχόντων „ἢ στεργομένων μέμνησο ἐπιλέγειν, ὁποῖόν ἐστιν, ἀπὸ „τῶν σμικροτάτων ἀρξάμενος . . . ."

„Ὅταν ἅπτεσθαί τινος ἔργου μέλλῃς, ὑπομίμνησκε σεαυ- „τόν, ὁποῖόν ἐστι τὸ ἔργον. ἐὰν λουσόμενος ἀπίῃς πρό- „βαλλε σεαυτῷ τὰ γινόμενα ἐν βαλανείῳ κ. τ. λ. . . ."

„Ἑκάστου ἔργου σκόπει τὰ καθηγούμενα καὶ τὰ ἀκό- „λουθα αὐτοῦ καὶ οὕτως ἔρχου ἐπ' αὐτό, εἰδὲ μή, τὴν μὲν „πρώτην προθύμως ἥξεις, ἅτε μηδὲν τῶν ἑξῆς ἐντεθυ- „μημένος· ὕστερον δὲ ἀναφανέντων δυςχερῶν τινων αἰσχρῶς „ἀποστήσῃ.[1]"

Hoc loco de argumento satirae quartae, quod ad hanc Stoicorum virtutem revocandum censeo, sententiam meam ut proferam non alienum esse videtur.

Jahnius quidem, ut omittam alios[2]), qui de Nerone con-

---

[1]) Epict. man. 3, (7); 4 (9) et 29 (34).

[2]) „Ueber diese Satire ist viel geschrieben, und sie ist gewaltig „missverstanden worden, indem man sie auf Nero bezogen hat. „Die Scholiasten wissen hiervon noch Nichts. Joh. Britannikus „hatte zuerst diesen Einfall, dann Murmellius und Casaubonus. „Zuletzt hat Meister in zwei Schriften diese Meinung behauptet, „fast ganz nach Britannikus, mit etlichen neuern zusammengerafften „Einfällen verbrämt. Es gibt aber gar kein schlechteres Probe- „stück von Auslegung, als Meister hierbei gemacht hat. Nero als „Taugenichts von Staatswegen, als Thema der Satire eines Zeit- „genossen ist barer Unsinn. Probrosa carmina mochte Nero immer- „hin vertragen, aber wahrlich nicht dieses Inhalts. Sobald man „nur weiss, was diese Satire enthält, kann von allen diesen Possen „nicht die Rede sein." Heinrich p. 140.

scriptam esse iudicaverunt hanc satiram, de argumento haec annotat:

„In hac satira Persius vulgare vitium notat, quo homi-
„nes se ipsos noscendi laborem fugientes propriae vani-
„tati atque aliorum assentationi fidunt et aliena vitia
„curare atque corrigere quam propria malunt."

Vult igitur Jahnius conscriptam esse hanc satiram de Pythico illo „Γνῶθι σαυτὸν" expositionemque esse huius sententiae, quam ad sequendam virtutem summi momenti esse omnes praedicant philosophi. Sed quum totam satiram ad hoc argumentum referamus, versus 17—22:

„Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
„Semper et assiduo curata cuticula sole?
„Exspecta, haud aliud respondeat haec anus. I nunc:
„Dinomaches ego sum, suffla, sum candidus — esto;
„Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
„Quum bene discincto cantaverit ocima vernae."

offendere haud quemquam effugiet. His enim versibus Persius minime vituperat eum, qui se ipsum non noverit, sed eum, qui de virtute vera verisque bonis falsa statuat. Is enim homo, qui summum bonum habeat, „uncta vixisse patella et assiduo curata cuticula sole," qui generis sui gloria corporisque confidat pulchritudine, non est monendus: Nosce te ipsum, sed: Cognoscas, quam viles inanesque sint res, in quibus summum tu ponas bonum; noscas virtutem bonumque verum.

Nosmet ipsos novimus, quum qualis sit status animi nostri tum quod ad rationem, tum quod ad voluntatem attinet, sciamus; praeceptum „*γνῶθι σαυτόν*“ nos revocat ad recessus in intimum animum, ut et cognoscamus, qualis sit scientia nostra et meminerimus, quid factum sit a nobis vel mali vel boni atque deponamus vitia, quibus obruti sumus.

Ita quidem Socrates hoc *γνῶθι σαυτὸν* ad nihil aliud refert nisi ad cognitionem sui, quae pertinet ad mores et ad scientiam.

„*Γελοῖον δή μοι φαίνεται τοῦτο ἔτι ἀγνοοῦντα τὰ „ἀλλότρια σκοπεῖν· ὅθεν δὴ χαίρειν ἐάσας ταῦτα, πειθό„μενος δὲ τῷ νομιζομένῳ περὶ αὐτῶν, ὃ νῦν δὴ ἔλεγον, „σκοπῶ οὐ ταῦτα, ἀλλ' ἐμαυτόν, εἴτε τι θηρίον ὢν τυγ„χάνω Τυφῶνος πολυπλοκώτερον καὶ μᾶλλον ἐπιτεθυμ„μένον, εἴτε ἡμερώτερόν τε καὶ ἁπλούστερον ζῶον, θείας „τινὸς καὶ ἀτύφου μοίρας φύσει μετέχον.*[1]“ —

„*Μανίαν γε μὴν ἐναντίον μὲν ἔφη εἶναι σοφίᾳ. ου „μέντοι γε τὴν ἀνεπιστημοσύνην μανίαν ἐνόμιζε, τὸ „δὲ ἀγνοεῖν ἑαυτὸν καὶ ἃ μὴ οἶδε δοξάζειν τε καὶ οἴεσθαι „γιγνώσκειν ἐγγυτάτω μανίας ἐλογίζετο εἶναι.*[2]“

„*Ἔοικα γοῦν τούτου σμικρῷ τινι αὐτῷ τούτῳ σοφώτερος „εἶναι, ὅτι ἃ μὴ οἶδα οὐδὲ οἴομαι εἰδέναι.*[3]“

Persium quidem satira quarta eam cognitionem sui, quae pertineat ad scientiam vel inscientiam, omisisse solos-

---

[1]) Plat. Phaedr. p. 229. E. sqq.

[2]) Xenoph. Memor. Socr. III, 9, 6.

[3]) Plat. Apol. p. 21; cf. Senec. de ira III, 36; Xenoph. Mem. IV, 2, 24; Ritter l. c. II, 61.

que mores tetigisse unusquisque facile intelligit. Sed quaestio: Qualis est status morum nostrorum, a quaestione: Quae est snmma boni, omnino distinguenda est. Nemo enim eo se ipsum noscet, quod compertum habet, quid sit summum bonum sive naturae maxime aptum. Arctissime cohaerere quaestionem de summa boni cum quaestione de hominum natura jam supra vidimus.

Cavendum igitur est, ne in errorem ducamur, quo tenetur Cicero, qui illud Apollinis „γνῶθι σαυτὸν“ ad quaestionem pertinere docet: Quid sumus, quid summum bonum? neque ad Socratis rationem: Sumusne sapientes, annon, sequimurne virtutem annon? Cicero enim dicit:

> „Intrandum est igitur in rerum naturam et penitus, „quid ea postulet pervidendum: aliter enim nosmet „ipsos nosse non possumus. Quod praeceptum quia „maius erat, quam ut ab homine videretur, idcirco „adsignatum est deo. Iubet igitur nos Pythius Apollo „noscere nosmet ipsos. Cognitio autem haec est una „nostri, ut vim corporis animique norimus sequamur„que eam vitam, quae rebus iis perfruatur. Quoniam „autem is animi appetitus a principio fuit, ut ea, quae „dixi, quam perfectissima natura haberemus, confiten„dum est, quum id adepti simus, quod appetitum sit, „in eo quasi in ultimo consistere naturam, atque id „esse summum bonum[1]).“

[1]) De fin. bon. et mal. V, 16, 44.

Quem Ciceronis locum secutus Causaubonus in explicando versu sat. III, 67:

„Quid sumus — aut quidnam victuri gignimur?"

errat, quod tetigisse censet et Persium Pythicum „γνῶθι σαυτὸν"[1]):

„Iure prima omnium ponitur haec scepsis, quae idem „iubet illa Pythicis oraculis adscripta vox: Nosce te „ipsum. Quam vocem principium et consummationem „sapientiae continere iure dixeris[2])."

Deinde laudat Ciceronis locum qui non pertinet ad Apollinis praeceptum, sed ad cognitionem totius nostrae naturae et partium singularum:

„Quum igitur ea sit, quam exposui, forma naturae, si, „ut initio dixi, simul atque ortus esset, se quisque „cognosceret iudicareque posset, quae vis et totius „esset naturae et partium singularum, continuo videret, „quid esset hoc, quod quaerimus, omnium rerum, quas „expetimus, summum et ultimum, nec ulla in re pec- „care posset.[3])"

Eodem errore captus laudat:

„Sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi, ut „nos, quales oportet esse, servemus. Sumus igitur ho- „mines: ex animo constamus et corpore, quae sunt

---

[1]) Pag. 190 ed. Dübner.

[2]) De fin. bon. et mal. V, 15, 41.

[3]) Vid. sup.

„cujusdam modi, nosque oportet, ut prima appetitio
„naturalis postulat, haec diligere constituereque ex his
„finem illum summi boni atque ultimi[1]);"

ubi non est sermo de Pythico „γνῶθι σαυτόν", sed de coniunctione physicae partis philosophiae cum ethica, qua de re supra diximus.

Plane igitur discernenda mihi videtur quaestio: Quae tibi summa boni est, ab illo praecepto: Nosce te ipsum. Persius quum et illam quaestionem et hanc sententiam satira quarta tangat, id, quod Iahnius affert argumentum, ad totam satiram pertinere non potest; immo vero duo essent argumenta, si non tertium quoddam haberemus, quod haec duo complecteretur. Quod tertium esse mihi videtur praeceptum Stoicorum, ne quam rem levius praetermittas, quin qualis vere sit, quidve sibi velit satis dijudicatum habeas.

Satira igitur quarta Persius tractare mihi videtur εὐλογιστίαν virtutem vel vitium oppositum; speciem discernendam esse a vero, perquirendam quamque rem, ne judicio leviori fallamur. Videamus, num tota satira referri possit ad hoc unum argumentum.

Primum nobis proponit poeta hominem, qui ingenio fretus et rerum prudentia rem populi tractare se posse putet, ita ut, „ubi commota ferveat plebecula bile, ferat animus calidae fecisse silentia turbae maiestate manus;" „Quirites," ita loquitur, „hoc non iustum est, illud male, rectius illud."

---

[1]) De fin. IV, 10, 25.

Rem ipsam vituperare non potest Persius, sed illud iuvenis perversum studium deridet, qui rem populi tractare se posse putet neque vere possit, qui scire se credat, „iustum gemina suspendere lance ancipitis librae rectumque discernere, ubi inter curva subeat vel quum fallat pede regula varo,“ quamquam nihil habeat nisi inania verba meliorque sit „Anticyras sorbere meracas.“ Nihil persequitur, nisi speciem virtutis sapientiaeque; quid vere sit virtus, minime didicit, quum summum bonum esse putet, „uncta vixisse patella et assiduo curata cuticula sole.“ Bona esse putat pulchritudinem corporis, gloriam divitiasque, quae omnia nihili aestimantur a sapiente. In quaque re errat, quum levius sit eius judicium, quam quod speciem dinoscat a vero. Aliorum quidem hominum vitia minime eum effugiunt, sed iisdem se ipsum esse obrutum obliviscitur; sequitur multitudinis levitatem, quorum „nemo in sese temptat descendere, nemo, sed praecedenti spectatur mantica tergo;“ qui vituperant, quamvis ipsi dignissimi sint vituperio. „Ilia subter caecum vulnus habet; sed lato balteus auro praetegit.“ Pessimo cuique iudicio fides datur: „egregium quum me vicinia dicat, non credam?“

Sequitur poetae gravissima adhortatio ad deiiciendam talem levitatem sequendamque illam virtutem, quae antequam iudicet agatque res vere perscrutetur.

Ita tota Persii satira quarta ad illam Stoicorum *εὐλογιστίαν* pertinere mihi videtur.

Tertia, quae prudentiae adnumeratur virtus est *ἀγχίνοια*:

„*Ἀγχίνοια ἐπιστήμη εὑρητικὴ τοῦ καθήκοντος ἐκ τοῦ* „*παραχρῆμα.*[1])"

Est igitur 'scientia, quae dubitationem agendi tollit atque is, qui ea est praeditus virtute, in quaque re ad manum habet, quid faciendum sit.

Persius in satiris nullo loco tangit hanc virtutem.

Sequitur apud Stobaeum *νουνέχεια*, quae est „*ἐπιστήμη ἐπιτευκτικὴ τοῦ ἐν ἑκάστῳ σκοποῦ.*"
Scientia est in quaque re suscepta finem certum assequendi.

Sapiens igitur, quidquid agit, finem sibi certum proponit neque ab eo aberrat.

„Omnis igitur labor aliquo referatur, aliquo respiciat. „Non industria inquietos, sed insanos falsae rerum ima- „gines agitant . . . ."

„Proponendum est itaque primum, quid sit, quod appe- „tamus, tum circumspiciendum, qua contendere illo „celerrime possimus.[2])"

Persius quoque eos vituperat, qui finem certum omnino non petant.[3])

Quod ad quintam attinet, quam Stobaeus ad prudentiam spectare docet virtutem *εὐμηχανίαν*, quae est „*ἐπιστήμη*

---

[1]) Stob. l. c.
[2]) Senec. de tranqu. anim. XII, 5.; de vit. beat. I, 1.
[3]) Sat. III, 60 sqq. v. p. 7.

εὑρητικὴ διεξόδου πράγματος", in Persii satiris nullum ad eam referendum inveni locum.

2. De temperantia.

Temperantiam ita definiunt Stoici:

„*Σωφροσύνην δ' εἶναι ἐπιστήμην αἱρετῶν καὶ φευκτῶν καὶ*
„*ουδετέρων* . . . ."

„*Τὴν δὲ σωφροσύνην περὶ τας ὁρμὰς τῶν ἀνθρώπων*
„*(γίγνεσθαί φησιν)* . . . ."

„*Τῆς δὲ σωφροσύνης ἴδιον κεφάλαιόν ἐστι τὸ παρέχεσθαι*
„*τὰς ὁρμὰς εὐσταθεῖς.*[1])"

„Temperantia voluptatibus imperat.[2])"

„*Ἐπεὶ οὖν τὴν μὲν σωφροσύνην ὁρίζονται εἶναι ἕξιν*
„*αἱρέσει καὶ φυγῇ σώζουσαν τὰ τῆς φρονήσεως κρίματα*
„*κ. τ. λ.*[3])"

Cicero *ὁρμάς* appetitiones animi vocat.[4])

Temperantiae igitur virtus versatur in continendis amimi appetitionibus.

Quaerendum est, quum de temperantiae virtute agatur, primum, quae nobis petenda sint, deinde quomodo. Altera igitur quaestio est de bonis, altera de affectibus.

Stoici non ubique separant de affectibus dicenda ab iis, quae ad bona pertinent; unde factum est, ut obscuritatem quandam intulerint in doctrinam.

---

1) Stob. ecl. II. 104, 105 et 112.
2) Senec. ep. 88, 29.
3) Clem. Al. Strom. II, 394 D.
4) De fin. III, 23.

Ne igitur perturbemur, afferemus primum, quae de bonis, deinde quae de affectibus Stoici Persiusque senserint.

Stoicis nihil bonum est nisi virtus, nihil malum nisi vitium:

„Τῶν δὲ ὄντων φασὶ τὰ μὲν ἀγαθὰ εἶναι, τὰ δὲ κακά, τὰ „δ' οὐδέτερα· ἀγαθὰ μὲν οὖν τὰς τ' ἀρετάς, φρόνησιν, „δικαιοσύνην, ἀνδρείαν, σωφροσύνην καὶ τὰ λοιπά· κακὰ „δὲ τὰ ἐναντία, ἀφροσύνην, ἀδικίαν καὶ τὰ λοιπά· οὐδέτερα „δὲ ὅσα μήτ' ὠφελεῖ μήτε βλάπτει, οἷον ζωή, ὑγίεια, „ἡδονή, κάλλος, ἰσχύς, πλοῦτος, εὐδοξία, εὐγένεια καὶ τὰ „τούτοις ἐναντία, θάνατος, νόσος, πόνος, αἶσχος, ἀσθένεια, „πενία, ἀδοξία, δυσγένεια καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια.[1]"

„Zeno igitur nullo modo is erat, qui, ut Theophrastus, „nervos virtutis incideret: sed contra, qui omnia, quae „ad beatam vitam pertinerent, in una virtute poneret: „nec quidquam aliud numeraret in bonis, idque ap- „pellaret honestum, quod esset simplex quoddam, et „solum et unum bonum.[2]"

Severam hanc rigidamque de bonis atque malis sententiam, in qua posita erat Stoicorum ἀπάθεια[3]), Persius tetigisse mihi videtur sat. I, 5 seqq.:

— „Non, si quid turbida Roma
„Elevet, accedas, examenve improbum in illa
„Castiges trutina, nec te quaesiveris extra."

---

[1]) Diog. Laert. VII, 102.
[2]) Cicer. Acad. I, 10.
[3]) Cf. Diog. Laert. VII, 117; Cicer. Tusc. IV, 17, 37.

Sicut enim Persius populi Romani judicium perversum non flocci facit, ita omnino nihili aestimandas esse omnes res censet, quae extra nos neque in nostra potestate sint. Sed una omnium rerum in potestate nostra est virtus, quum sit bonum animi neque amitti possit nisi sponte eius qui amittit:

„*Εἰ γάρ ἐστί τι οὐκ ἐφ' ἡμῖν, πᾶσα ἀνάγκη, μήτε ἀγαθὸν „αὐτὸ εἶναι μήτε κακόν.*[1])"

Stoicos vero ipsos hoc acerbum severumque placitum, quod attinet ad vitam ipsam, mitigasse apparet ex his locis:

„Deinceps explicatur differentiam rerum, quam si non „ullam esse diceremus, confunderetur omnis vita, ut „ab Aristone, neque ullum sapientiae munus aut opus „inveniretur, quum inter res eas, quae ad vitam degen„dam pertinerent, nihil omnino interesset neque ullum „dilectum adhiberi oporteret. Itaque quum esset satis „constitutum, id solum esse bonum, quod esset honestum, „et id malum solum, quod turpe, tum inter illa, quae „nihil valerent ad beate misereve vivendum, aliquid „tamen quod differret esse voluerunt, ut essent eorum „alia aestimabilia, alia contra, alia neutrum.[2])"

„*Τῶν δ' ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι ἀρετάς, τὰ δ' οὔ· φρόνησιν „μεν οὖν καὶ σωφροσύνην καὶ ἀνδρείαν ἀρετάς, χαρὰν δὲ „καὶ εὐφροσύνην καὶ θάρσος καὶ βούλησιν καὶ τὰ παρα„πλήσια οὐκ εἶναι ἀρετάς*" . . .

---

[1]) Epict. ench. 39.

[2]) Cicer. de fin. III, 15, 50.

„Ἔτι δὲ τῶν ἀδιαφόρων τὰ μὲν πλείω ἀξίαν ἔχειν, τὰ „δ᾽ ἐλάττω — —, τὰ μὲν προηγμένα, τὰ δὲ ἀποπρο„ηγμένα, τὰ δ᾽ οὐδετέρως ἔχοντα. . . .“

„Οὐδὲν δὲ τῶν ἀγαθῶν εἶναι προηγμένον διὰ τὸ τὴν „μεγίστην ἀξίαν αὐτὰ ἔχειν· τὸ δὲ προηγμένον τὴν δευ„τέραν χώραν καὶ ἀξίαν ἔχον συνεγγίζειν πως τῇ τῶν ἀγαθῶν φύσει.[1])“

„Ὁ μὲν Παναίτιος καὶ Ποσειδώνιος οὐκ αὐτάρκη λέγουσι „τὴν ἀρετήν, ἀλλὰ χρείαν εἶναί φασι καὶ ὑγιείας καὶ „χορηγίας καὶ ἰσχύος.“ . . .

„Ἔτι τέ φασιν, ᾧ ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαι, τοῦτο „οὐκ ἔστιν ἀγαθόν· πλούτῳ δὲ καὶ ὑγιείᾳ ἔστιν εὖ καὶ „κακῶς χρῆσθαι — οὐκ ἄρα ἀγαθόν. Ποσειδώνιος μέντοι καὶ „ταῦτά φησιν ἀγαθὰ εἶναι.“ . . .

„Τῶν δὲ ἀδιαφόρων τὰ μὲν λέγουσι προηγμένα, τὰ δὲ „ἀποπροηγμένα· προηγμένα μὲν τὰ ἔχοντα ἀξίαν, ἀπο„προηγμένα δὲ ἀναξίαν.[2])“

In primis igitur posteriores Stoicos Panaetium atque Posidonium hoc Stoicorum placitum mitigasse intelliges. Quare Cicero quoque dicit:

„Quum illorum tristitiam atque asperitatem fugiens „Panaetius, nec acerbitatem sententiarum nec disserendi „spinas probavit, fuitque in altero genere mitior, in „altero illustrior.[3])“

---

[1]) Stob. ecl. II, 92. 144 et 156.
[2]) Diog. Laert. VII, 128. 102 et 103; cf. Cicer. de fin. IV, 25. 68.
[3]) De fin. IV, 28, 79.

Persius non dilucide quidem, quid de his diversis Stoicorum sententiis sibi assumpserit indicat, verumtamen cogitandi eius de his rebus rationem ex satiris elicere possumus.

Minime assentiri eum multitudini eiusque studiis atque de bonis malisque rebus judicio elucet ex satirae primae exordio:

„O curas hominum, o quantum est in rebus inane!"

Casaubonus:

„Habemus igitur, qua de re sit dicturus: res mundanas
„et curas hominum; et quid de illis dicturus: nempe
„vanitatem illarum est demonstraturus."

Praeclare perstrinxisse mihi videtur Persius hoc uno versu studia Epicureorum, qui in ipso de bonis vel de summo bono judicio maxime cum Stoicis dissentirent.

Divitiae, quae vulgo summa bona habentur, ad sapientem non ita pertinent, ut ad comparandas colligendasque eas multa opera sit navanda.[1]) Aurum divitiasque sperni a deis, itáque ab hominibus quoque non esse expetenda iubet.[2])

Phalerae enim sunt tum divitiae tum gloria, quam pepererunt majores posterorum inertium:

— „Sed rure paterno
„Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum —
„Quid metuas? — cultrixque foci secura patella.
„Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
„Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,

[1]) Satir. II, 64—68.
[2]) Satir. II, 71 sequ.

„Censoremve tuum vel quod trabeate salutas?
„Ad populum phaleras!“ [1])

Verum bonum sola philosophia affert, quum nos ad virtutem ducat et sapientiam; divitiae beatum te non reddunt; itáque divitibus minime te invidere decet:

„Disce, nec invideas, quod multa fidelia putet
„In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
„Et piper et pernae, Marsi monumenta clientis,
„Menaque quod prima nondum defecerit orca . . . .“

Et:

„Hic ego securus vulgi et quid praeparet auster
„Infelix pecori, securus et angulus ille
„Vicini nostro quia pinguior, etsi adeo omnes
„Ditescant orti peioribus, usque recusem
„Curvus ob id minui senio, aut coenare sine uncto,
„Et signum in vapida naso tetigisse lagena. [2])“

Esse, qui voluptatem habeant summum bonum eamque solam sequantur, sed se minime his assentiri dicit satir. IV, v. 17 sqq. [3]) Nummum denotat dolosum:

„Quid si dolosi spes refulgeat nummi. [4])“
„Viso si palles, improbe, nummo. [5])“

---

[1]) Sat. III, 24 sqq.

[2]) Ibid. III, 73 sqq.; VI, 12 sqq.

[3]) Vid. p. 54.

[4]) Prol. 12.

[5]) Satir. IV, 47; cf. V, 111 sqq. De divitiis si comparare vis quae habeat Seneca, evolvas ep. 87, 15; de prov. V, 2; de vit. beat. 24, 5; 21, 4; 22, 3; 22, 4.

De gloria laudeque contemnenda sententiam profert poeta hanc:

— — — „O mores! usque adeone
„Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter? —
„At pulchrum est digito monstrari et dicier hic est!"
„Ten' cirratorum centum dictata fuisse
„Pro nihilo pendas? . . ."

Et:

„Assensere viri; nunc non cinis ille poetae
„Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
„Laudant convivae; nunc non e manibus illis,
„Nunc non e tumulo fortunataque favilla
„Nascentur violae? . . ."

Et:

„Sed recti finemque extremumque esse recuso
„Euge tuum et belle . . ."

Et:

„Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
„Cretata ambitio? vigila et cicer ingere large
„Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
„Aprici meminisse senes; quid pulchrius [1])"

Corporis pulchritudine gloriantem deridens, [2]) contra veram laudem non omnino se contemnere indicat:

---

[1]) Satir. I. 26, 36, 48 sqq; V, 176 sqq.

[2]) Ibid. IV, 20 sqq. (p. 94); cf. Cicer. de fin. III, 57. IV, 70.

„Quis leget haec? — Min' tu istud ais? nemo hercule? —
„Nemo? —
„Vel duo, vel nemo. — Turpe et miserabile! — Quare?
„Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
„Praetulerint? nugae! non, si quid turbida Roma
„Elevet, accedas, examenve improbum in illa
„Castiges trutina [1]);"

ubi Romanorum quidem de satiris suis judicium pro nihilo se habere affirmat, sed ea sola causa, quod sit perversum, non quod omnino laudem negligat [2]):

„Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit —
„Quando haec rara avis est — si quid tamen aptius exit,
„Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est;"
Et:
„Inde vaporata lector mihi ferveat aure: . . ."
Et:
„Mens bona, fama, fides haec clare et ut audiat hospes;
„Illa sibi introrsum et sub lingua murmurat; [3])"

ubi inter bona a deis juste imploranda etiam famam atque fidem numerat expetendaque ea esse dicit; divitias ceterasque res, quae ad corpus tantum pertinent, in commemorandis illis bonis omittit, quum animi bona plus ei valeant quam corporis. Nihilo minus eorum ipsorum studium, dum ne

---

[1]) Satir. I, 2 sqq.
[2]) De fama post mortem futura Stoici inter se discrepant. Cf. Cicer. de off. III, 17. Senec. ep. 102.
[3]) Satir. I. 45, 126 et II, 8 sqq.

modum excedat coniunctumque sit cum vita moribusque bene institutis, minime vituperat:

„Poscis opem nervis corpusque fidele senectae:
„Esto, age; sed grandes patinae tuccetaque crassa
„Adnuere his superos vetuere Iovemque morantur.
„Rem struere exoptas caeso bove, Mercuriumque
„Accersis fibra: da fortunare Penates,
„Da pecus et gregibus fetum! quo, pessime, pacto,
„Tot tibi quum in flammas iunicum omenta liquescant?..."

Et:

„Quis modus argento [1])?"

ubi non omnino negligendum esse argentum, sed eius cupiditatem certis finibus coercendam monet.

Ita etiam de justo divitiarum usu agitur:

„Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
„Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes [2])?"

Modestum divitiarum usum suadet:

— — — „Utar ego, utar,
„Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
„Nec tenues sollers turdarum nosse salivas.
„Messe tenus propria vive et granaria, fas est,
„Emole . . .!"

---

[1]) Ibid. II, 41 sqq; III, 69.
[2]) Ibid. V, 109 sq.

Et:

— — „Nunc, nunc impensius ungue,
„Unge, puer, caules! mihi festa luce coquatur
„Urtica et fissa fumosum sinciput aure,
„Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
„Quum morosa vago singultiet inguine vena,
„Patriciae immeiat vulvae? mihi trama figurae
„Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter [1])?"

Ita Persius summum illud Stoicorum dogma retinuit, praeter virtutem nihil esse, quod ad beate vivendum sufficeret, sed mitigavit simul severiorem eorum sententiam, eas res, quae ad usum vitamque communem spectarent, omnino nihili esse aestimandas.

Accuratius quam de rebus, quae sint appetendae, Stoici de affectibus animi disseruerunt:

„*Τὴν δὲ ὁρμὴν εἶναί φασι φορὰν ψυχῆς ἐπί τι.* [2])"

Appetitiones sive affectiones animi sunt aut bonae „*εὐπάθειαι*," aut malae „*πάθη*. [3])"

Appetitio rationem sequens bona est, aversa a ratione mala:

„Est igitur Zenonis haec definitio, ut perturbatio sit, „quod *πάθος* ille dicit, aversa a recta ratione contra

---

[1]) Ibid. VI, 23 sqq; VI, 68 sqq.
[2]) Stob. ecl. II, 162.
[3]) Diog. Laert. VII, 115 sq.

„naturam animi commotio. Quidam brevius perturbatio-„nem esse appetitum vehementiorem, sed vehementiorem „eum volunt esse, qui longius discesserit a naturae „constantia.[1]" Et Stobaeus:

„*Πάθος δ' εἶναί φασιν ὁρμὴν πλεονάζουσαν καὶ ἀπαθῆ τῷ „αἱροῦντι λόγῳ, ἢ κίνησιν ψυχῆς παρὰ φύσιν.*[2]"

Εὐπάθειαι sunt: voluntas: (*βούλησις*), cautio (*εὐλάβεια*), gaudium (*χαρά*).

„Natura enim omnes ea, quae bona videntur, sequuntur „fugiuntque contraria. Quam ob rem simul objecta „species est cuiuspiam quod bonum videatur, ad id „adipiscendum impellit ipsa natura. Id quum constan-„ter prudenterque fit, eius modi appetitionem Stoici „*βούλησιν* appellant, nos appellemus voluntatem . . ." „Itemque quum ita movemur, ut in bono simus aliquo, „dupliciter id contingit. Nam quum ratione animus „movetur placide atque constanter, tum illud gaudium „dicitur. — Quoniamque ut bona natura appetimus, „sic a malis natura declinamus, quae declinatio si cum „ratione fiet, cautio appelletur.[3]"

Perturbationes sunt quatuor:

„*Περὶ παθῶν καὶ Ζήνων ἐν τῷ περὶ παθῶν φασιν εἶναι*

---

1) Cicer. Tusc. IV, 6, 11.
2) Ecl. II, 166.
3) Cicer. Tusc. IV, 6, 12 sq.

„γένη τέτταρα, λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, ἡδονήν, [1])“

quae Cicero l. c. dolorem, metum, laetitiam (alii: concupiscentiam), voluptatem appellat.

Perturbationes omnes contra naturam sunt:

„Est igitur Zenonis haec definitio, ut perturbatio sit „aversa a recta ratione contra naturam animi commotio. [2])“

Sapiens igitur, quem naturam semper sequi oporteat, liber esse debet ab omnibus perturbationibus.

Sapiens est ἀπαθής:

„Nam Stoici affectus omnes, quorum impulsu animus „commovetur, ex homine tollunt, cupiditatem, laetitiam, „metum, moestitiam. [3])“ —

„Φασὶ δὲ καὶ ἀπαθῆ εἶναι τὸν σοφὸν διὰ τὸ ἀνέμπτωτον „εἶναι.“ [4])

„Perturbationes autem nulla naturae vi commoventur, „omniaque ea sunt opiniones ac judicia levitatis, ita„que his sapiens semper vacabit. [5])“

Persius quoque perstringit stultitiam insaniamque eorum, qui animi perturbationum tenentur imperio jubetque, ut frangant omnino earum dominationem:

---

[1]) Diog. Laert. VII, 110.

[2]) Cicer. Tusc. IV, 6, 11; cf. Acad. I, 10, 39; de fin. III, 10, 35. Senec. de ira III, 1; ep. 85, 3; 116.

[3]) Lact. div. inst. VI, 14.

[4]) Diog. Laert. VII, 117.

[5]) Cicer. de fin. III, 10. 35; cf. Tusc. III, 7; IV, 17, 37.

„Si tibi creterras argenti incusaque pingui
„Auro dona feram, sudes et pectore laevo
„Excutias guttas, laetari praetrepidum cor.“ . . .
Et:

„Magne pater divum, saevos punire tyrannos
„Haud alia ratione velis, quum dira libido
„Moverit ingenium ferventi tincta veneno;[1]“

ubi libido idem significat quod animi perturbatio affectusque effrenati.

„Quae autem a ratione aversa incitata est vehementius, „ea libido est, vel cupiditas effrenata, quae in omnibus „stultis invenitur.“ . . .

„Important enim; (sc. turbidi animorum concitatique „motus) aegritudines anxias atque acerbas animosque „affligunt et debilitant metu, iidem inflammant appe- „titione nimia, quam tum cupiditatem, tum libidinem „dicimus, impotentiam quandam animi a temperantia „et moderatione plurimum dissidentem.[2]“

Persii huc pertinere mihi videntur hi versus:

„Disce, nec invideas!“ . . .
„Tange, miser, venas et pone in pectore dextram. —
„„Nihil calet hic!“ — Summosque pedes attinge ma-
nusque. —
„„Non frigent.“ — Visa est si forte pecunia, sive

[1]) Satir. II, 52 et III, 35 sqq.; cf. III, 5.
[2]) Cicer. Tusc. IV, 6, 12; 15, 34.

„Candida vicini subrisit molle puella,
„Cor tibi rite salit etc.? . . .
„Viso si palles, improbe, nummo.“ . . .

Et:

„Disce, sed ira cadat naso.“ . . .

Et:

„Nunc ferus et violens.“ . . .

Et:

„Ditescant orti pecoribus, usque recusem
„Curvus ob id minui senio.[1])“

Vehementissime objurgat inter ceteras libidines luxuriam:

„Qui pote? vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
„Pinguis aqualiculus protenso sesquipede exstet.[2])“

Avaritiam castigat tota satira sexta, imprimis versibus qui praestant:

„Vende animam lucro, mercare atque excute sollers
„Omne latus mundi, nec sit praestantior alter
„Cappadocas rigida pingues plausisse castata;
„Rem duplica. — Feci; iam triplex, iam mihi quarto,
„Jam decies redit in rugam: depinge, ubi sistam. —
„Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.[3])“

---

[1]) Satir. III, 73. 107 sqq. IV, 47; V, 91. 171. VI, 15; cf. V, 141 sq. 179 sqq. et. Cicer. Tusc. IV, 8, 19.

[2]) Ibid. I, 56 sqq.; cf. III, 3. 98; IV, 33; V, 142.

[3]) Satir. VI, 75 sq.; cf. II, 9 sqq., 52 et 64.

Et:

„Dives arat Curibus quantum non milvus oberrat. —
„Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro,
„Qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,
„Seriolae veterem metuens deradere limum
„Ingemit: hoc bene sit! tunicatum cum sale mordens
„Caepe, et farratam pueris plaudentibus ollam
„Pannosam faecem morientis sorbet aceti?—“ . . .[1])

Et:

„Mane piger stertis. — „Surge,“ inquit Avaritia, „heia
„„Surge!“ — Negas; instat: „Surge,“ inquit. — „Non
„queo.“ — „Surge.“ —
„„Et quid agam?“ — Rogitas? „en saperdam advehe
„Ponto,
„„Castoreum, stuppas, ebenum, tus, lubrica Coa;
„„Tolle recens primus piper ex sitiente comelo;
„„Verte aliquid; iura.“ — „Sed Juppiter audiet.“ —
„Eheu!
„Baro, regustatum digito terebrare salinum
„Contentus perages, si vivere cum Jove tendis! —
„Jam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas:
„Ocius ad navem! nihil obstat, quin trabe vasta
„Aegaeum rapias, nisi sollers Luxuria ante
„Seductum moneat: Quo deinde, insane, ruis? quo?
„Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis

[1]) Satir. IV, 26 sqq.

„Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae?
„Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto
„Coena sit in transtro, Veientanumque rubellum
„Exhalet vapida laesum pice sessilis obba?
„Quid petis? ut nummos, quos hic quicunce modesto
„Nutrieras, peragant avido sudore deunces?[1]"

Soli sapienti, quum sit liber affectibus perturbationibusque animi, tribuebant Stoici veram meramque libertatem. Notissimum est eorum dogma, quod Cicero inter paradoxa tractat: *„ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος."*

„Μόνον τε τὸν σοφὸν ἐλεύθερον (εἶναί φασιν).[2]"
„Καὶ τον σπουδαῖον εἶναι μόνον πλούσιον καὶ ἐλεύθερον,
„τὸν δὲ φαῦλον τοὐνατίον καὶ δοῦλον.[3]) —
„Ὅστις οὖν ἐλεύθερος εἶναι βούλεται, μήτε θελέτω τι,
„μήτε φευγέτω τι τῶν ἐπ' ἄλλοις· εἰ δὲ μή, δουλεύειν
„ἀνάγκη.[4]"
„Ταύτην (τὴν διάνοιαν) γε μὴν ἐν ὀχυρωτάτῳ ἵδρυσεν
„ὁ θεὸς ὥστε ἀόρατον εἶναι καὶ ἄληπτον, καὶ ἀνάγκης
„πάσης ἐκτὸς ἐλευθέραν καὶ αὐτεξούσιον.[5]"

---

[1]) Satir. V, 132 sqq.
[2]) Diog. Laert. VII, 124.
[3]) Stob. ecl. II, 204.
[4]) Epict. ench. XIV (20).
[5]) Musonius ap. Stob. serm. 79, 51 s. f. (Tom. III p. 106 ed. Gaisford); cf. Epict. ench. I; Senec. de prov. 19, 2; qu. nat. III, praef. 16; ep. 51, 9; 75, 18; 20, 4—6; Cicer. de off. II, 20, 70; Tusc. III, 7; de fin. III, 22, 75.

Persius satirarum omnium longe praestantissima quinta illud Stoicorum de libertate placitum tractat. Sapientem solum liberum esse docet vers. 109—114[1]) causamque addit, cur sapiens vere sit liber; servitium enim nasci ex perturbationibus animi:

„Sed si intus et in iecore aegro
„Nascuntur domini, qui tu impunitior exis
„Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit
„herilis?[2])

Sapiens igitur liber est atque quaecunque vult facere ei licet; nam libertatem esse: „nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus" Seneca dicit.[3])

Quidquid igitur vult sapiens, facere ei licere necesse est atque exsequi. Ita Persius eum liberum dicit, cui vitam ducere licet ut voluit:

„An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
„Cui licet, ut voluit? licet ut volo vivere: non sum
„Liberior Bruto? — Mendose colligis, inquit
„Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto:
„Haec reliqua accipio; „licet" illud et „ut volo"
„tolle." —[4])

Quod quidem in sapientem Stoicum cadere elucet, quum ratione una lege utatur neque accedat ad res, quas impetrare vel exsequi se non posse cognitum habeat; nihil vult,

[1]) Vid. sup. p. 11.
[2]) Satir. V, 129—31.
[3]) Ep. 51, 9.
[4]) Satir. V, 83—87.

quod non perpetrare possit; sequitur, ut quaecunque vult perpetrare possit:

„Disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna,
„Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
„Non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
„Officia atque usum rapidae permittere vitae:
„Sambucam citius caloni aptaveris alto.
„Stat contra ratio et secretam garrit in aurem,
„Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.
„Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
„Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
„Diluis helleborum, certo compescere puncto
„Nescius examen: vetat hoc natura medendi;
„Navem si poscat sibi peronatus arator,
„Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
„Frontem de rebus.“ . . .

Et:

„Et premitur ratione animus vincique laborat.[1]“

Sed haec Stoicorum libertas, quae in solos sapientes cadit, repugnat iis, quae de fato docent.

„Ἐκ τῶν ὅλων ἀπ᾽ ἀρχῆς σοι συγκαθείμαρτο καὶ συνεκλώ-
„θετο πᾶν τὸ συμβαῖνον.[2]“ —

„Καθ᾽ εἱμαρμένην δέ φασι τὰ πάντα γίγνεσθαι Χρύσιππος,
„Ποσειδώνιος, Ζήνων καὶ Βοηθός· Ἔστιν ἡ εἱμαρμένη
„αἰτία τῶν ὄντων, ἢ λόγος καθ᾽ ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται.[3]“

---

[1]) Ibid. vers. 91—104 et 39.

[2]) Anton. IV, 26.

[3]) Diog. Laert. VII, 149; cf. Senec. de ben. IV, 7, 2; 8, 3; nat. quaest. II, 36; 45; ep. 19, 6; 91, 7, 12; de tranqu. anim. 4, 1; Cicer. de nat. deor. III, 6; de fato.

Etiam Persius fati mentionem facit:

„Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
„Consentire dies et ab uno sidere duci:
„Nostra vel aequali suspendit tempora Libra
„Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
„Dividit in Geminos concordia fata duorum,
„Saturnamque gravem nostro Jove frangimus una:
„Nescio quod, certe est quod me tibi temperat
„astrum. [1]"

Parca posita est pro fato. Antiquiore tempore Romae una vel plures Parcae erant deae partus. [2]) Postea confundebantur Parcae cum Graecorum *Μοίραις*, ita ut fata singulorum significarent. [3])

Vocabula „veri tenax" non ad rem, sed ad modum solum respicere, quo repraesentabatur Parca libram tenens, docet Iahnius ad h. l. [4])

Fatum proprium vox Jovis est: „Vox enim Jovis fatum est...." „Juno sciens fatum esse, quidquid dixerit Jupiter. [5])"

„Fatum dicunt, quidquid dii fantur. [6])"

Astrologia quoque illis versibus a poeta tangitur. Homines rerum futurarum studiosi eo adducebantur, ut sidera de fatis suis consulerent. Siderum enim motus tum hominibus arcani aliquid habent occultique, tum cohaerent cum naturae

---

¹) Satir. V, 45 sqq.
²) Cf. Gell. n. Att. III, 16, 10.
³) Cf. Catull. 64, 306 sqq.
⁴) Cf. Il. VIII, 69; XVI, 658; XIX, 223; XXII, 209.
⁵) Serv. A. X, 628; XII, 808.
⁶) Isid. orig. VIII, 11, 90.

annique temporum mutationibus. Pythagorei, Academici et Stoici posteriores multum versabantur in fatis explorandis e siderum motu atque constellatione:

„Posidonius Stoicus multum astrologiae deditus. —
„Posidonius vel quilibet fatalium siderum assertor."
„Posidonius magnus astrologus idemque philosophus.[1]"

Panaetius quidem unus e Stoicis nihil tribuendum esse astrologiae censebat.[2]) Stoicorum quae fuerit de sideribus sententia, invenies apud Ciceronem.[3])

Persii aetate maxime florebat astrologia, quae ex Aegypto cum Isidis aliorumque deorum cultu Italiae erat illata.[4])

Sed satiram V. (45 sqq.) quum accuratius consideremus conferamusque cum VI. (18):

„Discrepet his alius: geminos, horoscope, varo
„Producis genio,"

secutum esse poetam ea, quae Stoici de fato judicabant, non habemus, quod pro certo affirmemus. Tetigisse eum Stoicorum de fato sententiam apparet quidem, sed num comprobaverit, ex hisce versibus plane diiudicare non possumus.

Usitatissimae erant tum Romae hae voces; Parca — fatum — sidera in omnium ore erant neque ea de causa fatum

---

[1]) Augustin. de civit. D. V, 2 et 5.
[2]) Cf. Cicer. de div. I, 3; II, 42, 88.
[3]) De nat. D. II, 16, 42.
[4]) Cf. Mommsen, Röm. Geschichte III, 556 sqq.; Cato de re rust. 5; Val. Max. I, 3, 2; Plut. Mar. 42; Sulla 37; Tacit. an. VI, 21; Cicer. de div. II, 42, 87; 46, 97; Gell. n. Att. XIV. I.

esse quoddam atque sideribus sortem indicari putabant homines eruditi atque libere sentientes de imperitorum opinione.[1]) Simili modo etiam nos dicimus: „Unglücksstern, Schicksalsstern, Hoffnungsstern, unter einem Stern geboren sein" et plura eiusmodi.

Stoici multum quoque versabantur in divinandis atque explorandis rebus futuris somnia interpretantes atque auspicia:

„Καὶ μὴν καὶ μαντικὴν ὑφεστάναι πᾶσάν φασιν, εἰ καὶ „πρόνοιαν εἶναι.[2])"

„Μόνον δέ φασι τὸν σοφὸν καὶ μάντιν ἀγαθὸν εἶναι καὶ „ποιητὴν καὶ ῥήτορα καὶ διαλεκτικὸν καὶ κριτικόν.[3]) —

„Ὅταν μαντικῇ προσίῃς μέμνησο, ὅτι, τί μὲν ἀποβήσεται, „οὐκ οἶδας, ἀλλὰ ἥκεις ὡς παρὰ τοῦ μάντεως αὐτὸ „πευσόμενος.[4])"

Persius quoque de somniis atque auspiciis verba facit:

„An quia non fibris ovium Ergennaque iubente
„Triste iaces lucis evitandumque bidental;"
Et:
— „Nam fratres inter aenos
„Somnia pituita qui purgatissima mittunt[5]);

sed utrum hac in re Stoicorum superstitionem secutus sit, necne, non plane elucet.

---

[1]) Cf. Horat. carm. II. 27, 17.

[2]) Diog. Laert. VII, 149.

[3]) Stob. ecl. II, 120.

[4]) Epict. man. 32; cf. Senec. quaest. nat. II, 31, 4; Cicer. de div I, 6; 125; II, 130; de fato XV.

[5]) Satir. II, 26. 56 sq.

In universum deridet superstitionem:

„At quum
„Herodis venere dies, unctaque fenestra
„Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae
„Portantes violas rubrumque amplexa catinum
„Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
„Labra moves tacitus recutitaque sabbata palles.
„Tum nigri lemures ovoque pericula rupto,
„Tum grandes galli et cum sistro lusca sacerdos
„Incussere deos inflantes corpora, si non
„Praedictum ter mane caput gustaveris alli; . . .“

Et:

„Ecce avia aut metuens divum matertera cunis
„Exemit puerum, frontemque atque uda labella
„Infami digito et lustralibus ante salivis
„Expiat, urentes oculos inhibere perita. — —
„Ast ego nutrici non mando vota; negato,
„Juppiter, haec illi, quamvis te albata rogarit; . . .“

Et:

„Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
„Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.[1]“

---

[1]) Satir. V, 180; II, 31 et VI, 10 sqq. — Tacitus quoque hanc rem tangit; vid. An. VI, 22 et IV, 20. Quamquam dubitare se dicit, utrum fatum sit, necne, tamen fati voce saepissime utitur. Cf. ibid. I, 3. II, 71. 73; VI, 10; XI, 2; XVI, 5, 10. —

„Es sind dies populäre Ausdrücke, deren sich trotz der wider-
„sprechenden Anschauungen, auf welchen sie beruhen, auch der
„Philosoph von Fach nicht entschlägt, wenn es ihm nicht auf
„Darlegung seiner Grundsätze ankommt.“ Nipperdey, Tacit. An. prol. p. 16.

Quomodo autem explicaverit Persius Stoicorum sententiam hominem sapientem liberum esse eundemque fato subditum ex satiris eius non apparet.

Stoicos ipsos haesisse hac in re docet Gellius:

„Itaque M. Cicero in libro, quem de fato conscripsit, „cum quaestionem istam diceret obscurissimam esse „et implicatissimam, Chrysippum quoque philosophum „non expedisse se in ea his verbis scripsit: Chrysippus „aestuans laboransque, quonam explicet, et fato omnia „fieri et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.[1])"

Sed longius iam aberravimus a disputatione, quam de virtutibus instituimus. Attamen afferenda putavi ea, quae de libertate atque fato Stoicorum attulimus, quum arctissime cum quaestione de affectibus cohaereant.

Revertamur igitur eo unde profecti sumus et investigemus in Persii satiris Stoicorum virtutes.

Temperantiam apud Stobaeum sequitur tertia virtus fortitudo.

3. De fortitudine.

„*Τὴν δὲ ἀνδρείαν φασὶν εἶναι περὶ τὰς ὑπομονάς.*" . . .

„*Τὴν ἀνδρείαν προηγουμένως μὲν πᾶν ὃ δεῖ ὑπομένειν.* [2])"

Ad fortitudinem spectant *καρτερία*, scientia perseverandi in quoque proposito conatuque; *θαῤῥαλεότης*, fiducia in nobis-

---

[1]) N. Att. VI (VII) 15.

[2]) Stob. l. c.

met ipsis posita; *μεγαλοψυχία*, quae ea omnia velut minuta contemnit, quae vulgus ut maxima optat;[1]) *εὐψυχία*, qua vincimus casus omniaque pericula; *φιλοπονία*, quae nos semper impellit ad agendum incitatque, ut negligamus incommoda, quae nobis afferuntur.

„*Τῇ δὲ ἀνδρείᾳ (ὑποτάττεσθαί φασι) καρτερίαν, θαῤῥα-*
„*λεότητα, μεγαλοψυχίαν, εὐψυχίαν, φιλοπονίαν.*[2])"

Mirum est, quod Persius hanc virtutem, qua Stoici ante omnes excellebant — quis enim ignorat Arriae: „Non dolet" et Thraseae Catonisque „nobile letum" — perpaucis tantum satirarum locis attingit. Sed fortitudo viri, non iuvenis est. Spirant quidem satirae eius animum iuvenili ardore inflammatum, virtutem verumque petentem neque ullum impedimentum metuentem, sed per vitam brevem atque immatura morte finitam, fortitudinem, quae cernitur in vitae ipsius periculis vincendis, non licuit ei exercere.

Acerbissima quidem indignatione invehitur in Romulidarum debilitatem atque lasciviam:

„Nempe haec assidue? iam clarum mane fenestras
„Intrat et angustas extendit lumine rimas;
„Stertimus indomitum quod despumare Falernum
„Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
„En quid agis? — Siccas insana canicula messes
„Iam dudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est,

---

[1]) Cf. Senec. ep. 74, 13.
[2]) Stob. ecl. II, 107.

„Unus ait comitum. — Verumne? itane? ocius adsit
„Huc aliquis! nemon'? Turgescit vitrea bilis;
„Findor — ut Arcadiae pecuaria rudere dicas.
„Iam liber et positis bicolor membrana capillis
„Inque manus chartae nodosaque venit arundo.
„Tunc querimur, crassus calamo quod pendeat humor,
„Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
„Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.
„O miser inque dies ultra miser, hucine rerum
„Venimus? at cur non potius teneroque columbo
„Et similis regum pueris pappare minutum
„Poscis et iratus mammae lallare recusas? —
„An tali studeam calamo? — Cui verba? quid istas
„Succinis ambages? tibi luditur; effluis amens;
„Contemnere! . . ."

Et:

„Nam Romae quis non —? ah si fas dicere! sed fas;
„Tunc, quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
„Aspexi ac nucibus facimus quaecunque relictis,
„Quum sapimus patruos; tunc, tunc — ignoscite „nolo; . . ."

Et:

„Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
„Viveret in nobis [1])?"

Ad labores, qui virtutis praecepta sequenti suscipiendi sunt, spectant versus III 23 — 24. [2]) Virtutem homines

[1]) Satir. III, 1—20; I, 8 sqq. et 103; cf. V, 56 sq. vid. sup.
[2]) Vid. sup.

assequi non posse nisi multo labore Seneca quoque dicit.[1])

Ad constantiam, qua praeditus esse debet, qui ad virtutem tendit libidinumque vincula dejecturus est, spectant versus:

„Nec tu quum obstiteris semel instantique negaris
„Parere imperio, rupi iam vincula dicas; . . .

Et:

„Ne trepidare velis atque artos rodere casses.[2])"

Fortiter accedendum esse ad virtutem neve differenda quae bene sint proposita, exhibent versus:

„Cras hoc fiet idem." — Cras fiet? — Quid? quasi
„magnum
„Nempe diem donas! — Sed quum lux altera venit,
„Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
„Egerit hos annos et semper paulum erit ultra.
„Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
„Vertentem sese frustra sectabere canthum,
„Quum rota posterior curras et in axe secundo.[3])"

---

1) Ep. 76, 6; 90, 44. 46.

2) Satir. V, 157 sq. et 170; cf. Senec. ep. 67, 10.

3) Satir. V, 66 sqq. — „K'ἂν ἐπὶ πόνον τι ἢ ἡδύ, ἢ ἄδοξον προσάγη-„ται, μέμνησο, ὅτι νῦν ὁ ἀγὼν ἤδη πάρεστι τὰ 'Ολύμπια· καὶ „οὔκ ἔστιν ἀναβάλλεσθαι οὐκέτι, καὶ ὅτι παρὰ μίαν ἡμέραν καὶ „ἓν πρᾶγμα καὶ ἀπόλλυται προκοπὴ καὶ σώζεται." Epict. man. 51.

4. De justitia.

His virtutibus quarta accedit justitia:

„Τὴν δὲ δικαιοσύνην περὶ τὰς ἀπονεμήσεις (γίγνεσθαι φαςιν)
„— τῇ δὲ δικαιοσύνῃ (ὑποτάττεσθαί φασιν) εὐσέβειαν,
„χρηστότητα, εὐκοινωνησίαν, εὐσυναλλαξίαν.[1])“

Εὐσέβεια, quae est pietas erga deos, in eo, quod de diis instituemus, tractabitur capite.

Ceterae virtutes, quas complectitur justitia, spectant ad homines, quibuscum vivimus, ad eorum usum atque commercium. Ita definiuntur apud Stobaeum, ut benevolos nos esse oporteat in homines aptosque ad habendam cum iis familiaritatem, consuetudinem vel commercium.

Quum Persius inter solos amicos vitam tranquillam degeret, nihil fere invenitur in satiris, quod ad has res attineat. De amicitia igitur sola benevolentiaque hoc loco nobis dicendum est. Amicitiam Stoicos coluisse testes sunt Diogenes Laert., Stobaeus, Seneca, Cicero.

„Λέγουσι δὲ καὶ τὴν φιλίαν ἐν μόνοις τοῖς σπουδαίοις
„εἶναι διὰ τὴν ὁμοιότητα· φασὶ δ' αὐτὴν κοινωνίαν
„τινὰ εἶναι τῶν κατὰ τὸν βίον, χρωμένων ἡμῶν τοῖς

---

[1]) Stob. l. c.

„φίλοις ὡς ἑαυτοῖς· ἔν τε τοῖς φαύλοις μὴ εἶναι „φιλίαν.[1])"

„Ἐν μόνοις τε τοῖς σοφοῖς ἀπολείπουσι φιλίαν, ἐπεὶ ἐν „μόνοις τούτοις ὁμόνοια γίγνεται περὶ τῶν κατὰ τὸν „βίον· τὴν δ' ὁμόνοιαν εἶναι κοινῶν ἀγαθῶν ἐπιστήμην· „φιλίαν γὰρ ἀληθινὴν καὶ μὴ ψευδώνυμον ἀδύνατον „χωρὶς πίστεως καὶ βεβαιότητος ὑπάρχειν.[2])"

„Nihil tamen aeque oblectaverit animum, quam amicitia „fidelis et dulcis. Quantum bonum est, ubi sunt prae-„parata pectora, in quae tuto secretum omne descendat, „quorum conscientiam minus quam tuam timeas, quorum „sermo sollicitudinem leniat, sententia consilium ex-„pediat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse „delectet[3])!"

„Adjunge fructum amicitiarum: in quo doctis positum „est quum consilium omnis vitae consentiens et paene „conspirans tum summa jucunditatis e quotidiano cultu „atque victu. Quid haec tandem vita desiderat quo sit „beatior? Cui rei refertae tot tantisque gaudiis Fortuna „ipsa cedat necesse est.[4])"

Sed amicitiam expetendam esse alii dicebant Stoici propter utilitatem, alii propter se ipsam.

„Qui se spectat et propter hoc ad amicitiam venit, „male cogitat; quemadmodum coepit, sic desinet: paravit

---

[1]) Diog. Laert. VII, 124.
[2]) Stob. ecl. II. 222 cf. 182.
[3]) Senec. de tranqu. anim. VII, 3.
[4]) Cicer. Tusc. V, 25, 72.

„amicum adversum vincla laturum opem: cum primum „crepuerit catena, discedet . . .“

„Ad amicitiam fert illum (sapientem) nulla utilitas sua, „sed naturalis irritatio.[1])“ —

„Amicitiam vero adhibendam censent (Stoici), quia sit „ex eo genere, quae prosunt. Quamquam autem in „amicitia alii dicant aeque caram esse sapienti rationem „amici ac suam, alii autem sibi cuique cariorem suam, „tamen hi quoque posteriores fatentur alienum esse a „iustitia, ad quam nati esse videamur, detrahere quid „de aliquo, quod sibi adsumat. Minime vero probatur „huic disciplinae, de qua loquor, aut amicitiam aut „iustitiam propter utilitates ascisci aut probari.[2])“

Maximae quidem utilitati sibi fuisse amicum, quum ipsi ad virtutem sequendam dux rectorque fuerit, non silentio transit Persius:

„Quum primum pavido custos mihi purpura cessit,
„Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
„Quum blandi comites totaque impune Subura
„Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo.[3])“ etc.

sed amicitiam non utilitatis causa se petivisse docet versibus:

„Secreti loquimur: tibi nunc, hortante Camena,
„Excutienda damus praecordia, quantaque nostrae

---

[1]) Senec. ep. 9, 8. 18.

[2]) Cicer. de fin. III, 21, 70.

[3]) Satir. V. 29 sqq. vid. sup.; cf. Senec. qu. nat. III, 30; Cicer. Tuscul. V, 5.

„Pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
„Ostendisse iuvat: pulsa, dinoscere cautus,
„Quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.
„His ego centenas ausim deposcere voces,
„Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi
„Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
„Quod latet arcana non enarrabile fibra.[1])"

Immo vero Persius amicitiam inter virtutes numerat:

„Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?[2])

Mirum in modum Stoici disserebant in scriptis de *χρηστότητος* virtute. Volebant enim, sapientem benevolum quidem esse in ceteros homines, sed nihilominus misericordiae, quae esset ‚*κοινωνία τῆς λύπης*" omnino expertem. — [3]) Moestitiam enim, adnumerabant affectibus, a quibus sapiens liber esse deberet.

„*Οὐδὲ μὴν λυπηθήσεσθαι τὸν σοφόν, διὰ τὸ τὴν λύπην*
„*ἄλογον εἶναι.*" . . .
„*Ἐλεήμονάς τε μὴ εἶναι, συγγνώμην τε ἔχειν μηδενί.*[4])

„Si ergo in homine praeclarum et excellens est bonum, „misericordia, idque divinis testimoniis et bonorum „malorumque consensu optimum judicatur, apparet philosophos longe abfuisse ab humano bono, qui neque „praeceperant eiusmodi quidquam, neque fecerunt,

---

[1]) Satir. V, 21 sqq.
[2]) Satir. V, 109; cf. Senec. ep. 9, 8.
[3]) Χρηστότητα δὲ εἶναι ἐπιστήμην εὐποιητικήν. Stob. l. c. cf. Cicer. Tusc. IV, 8, 18.
[4]) Diog. Laert. VII, 120. 123.

„sed hanc virtutem, quae in homine propemodum singularis est, pro vitio semper habuerunt.[1])“

„Ad rem pertinet quaerere hoc loco, quid sit misericordia. Plerique enim ut virtutem eam laudant et bonum hominem vocant misericordem. Et haec vitium animi est; utroque circa severitatem circaque clementiam posita sunt, quae vitare debemus et rel.[2])

Seneca misericordiam plane tollere non quidem vult, sed finibus circumscribit, ne longius aberremus a ratione neve in vitium anuum et muliercularum incidamus, quae nocentissimorum lacrimis moveantur atque si liceret carcerem effringerent.

Persium quoque talem misericordiam, quam clementiam appellat Seneca, inter bona habuisse neque omnino miserationis expertem fuisse ex satiris elucet.

Dare vult, sed ei soli, qui re vera est infelix atque miser.

„Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes?“ . . .
Et:
„Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
„Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
„Condidit Jonio; iacet ipse in litore et una
„Ingentes de puppe dei, iamque obvia mergis
„Costa ratis lacerae: nunc et de cespite vivo
„Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
„Caerulea in tabula . . .“

---

[1]) Lactant. div. inst. II, 4, 5.
[2]) Senec. de clem. II, 4, 4.

Et:

„Men' moveat quippe, et, cantet si naufragus, assem
„Protulerim? cantas, quum fracta te in trabe pictum
„Ex humero portes? verum nec nocte paratum
„Plorabit, qui me volet incurvasse querella.[1]" —

Stultitiam eorum castigat, qui beneficiis afficiunt inopes, ut laudibus blanditiisque efferantur.

„Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
„Et: verum, inquis, amo: verum dicite de me[2])!"

Sed haec hactenus de singulis Stoicorum virtutibus!

Paullulum mitigasse Persium severiora Stoicorum praecepta eorumque lenivisse asperitatem facile intelligitur.

Eo magis admirandum est, quod severissimum illud dogma, quod idem maxime speciem falsi prae se fert perpaucisque omnino probabatur, non mitigavit, Zenonis scilicet placitum, omnes virtutes omniaque peccata esse paria neque quidquam medium esse inter hominem bonum et malum, sapientem et insipientem, felicem et miserum; immo vero hoc paradoxon apertissimis verbis expressit:

„Nil tibi concessit ratio: digitum exsere, peccas,
„Et quid tam parvum est? sed nullo ture litabis,
„Haereat in stultis brevis ut semuncia recti:
„Haec miscere nefas; nec, quum sis cetera fossor,
„Tres tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli.[3]"

Stoicorum de hoc paradoxo sententiam habes hisce locis:

---

[1]) Satir. V, 110; VI, 27 sqq.; I, 88 sqq.

[2]) Satir. I, 54 sq.

[3]) Satir. V, 119 sqq.

„*Τὰς δὲ ἀρετὰς λέγουσιν ἀντακολουθεῖν ἀλλήλαις καὶ τὸν* „*μίαν ἔχοντα πάσας ἔχειν. . .*“

„*Ἀρέσκει καὶ αὐτοῖς μηδὲν μεταξὺ εἶναι ἀρετῆς καὶ κακίας.* „*τῶν Περιπατητικῶν μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας λεγόντων* „*τὴν προκοπήν· ὡς γὰρ δεῖν φασιν ἢ ὀρθὸν εἶναι ξύλον ἢ* „*στρεβλόν, οὕτως καὶ δίκαιον ἢ ἄδικον τὸν ἄνθρωπον.* [1])“ — „*Φασὶ δὲ καὶ πάντα ποιεῖν τὸν σοφὸν κατὰ πάσας τὰς* „*ἀρετάς· πᾶσαν γὰρ πρᾶξιν τελείαν αὐτοῦ εἶναι, διὸ* „*καὶ μηδεμίαν ἀπολελεῖφθαι ἀρετῆς.*“ . . .

„*Τὸ γὰρ κατὰ λόγον ὀρθὸν ἐπιτελεῖν πάντα καὶ οἷον κατ'* „*ἀρετήν, περὶ ὅλον οὖσαν τὸν βίον τέχνην, ἀκόλουθον* „*ᾠήθησαν τῷ περὶ τοῦ πάντα εὖ ποιεῖν τὸν σοφὸν δόγμα·* „*κατὰ τὸ ἀνάλογον δὲ καὶ τὸν φαῦλον πάντα ὅσα ποιεῖ* „*κακῶς ποιεῖν καὶ κατὰ πάσας τὰς κακίας.*“ . . .

„*Ἔτι δὲ λέγουσι πάντα φαῦλον μαίνεσθαι, ἄγνοιαν ἔχοντα* „*αὐτοῦ καὶ τῶν καθ' αὐτόν, ὅπερ ἐστὶ μανία.*“ . . .

„*Ἀρέσκει γὰρ τῷ τε Ζήνωνι καὶ τοῖς ἀπ' αὐτοῦ Στωι-* „*κοῖς φιλοσόφοις δύο γένη τῶν ἀνθρώπων εἶναι, τὸ μὲν* „*τῶν σπουδαίων, τὸ δὲ τῶν φαύλων· καὶ τὸ μὲν τῶν* „*σπουδαίων διὰ παντὸς τοῦ βίου χρῆσθαι ταῖς ἀρεταῖς,* „*τὸ δὲ τῶν φαύλων ταῖς κακίαις.* [2]) —

„*Καὶ Χρύσιππος δῆλός ἐστι προστιθέμενος τῷ μήτε* „*κακίαν κακίας ἢ ἁμαρτίας ἁμαρτίαν ὑπερέχουσαν εἶναι* „*μήτ' ἀρετὴν ἀρετῆς ἢ κατόρθωσιν κατορθώσεως.*“...

---

[1]) Diog. Laert. VII, 125. 124.

[2]) Stob. ecl. II, 116. 120. 124. 198.

„Στωικός ἐστι λόγος, ὅτι πᾶν, ὅ ἂν δρᾷ ὁ σοφός, κατὰ „πᾶσαν ἀρετὴν ἐνεργεῖ, καὶ μία μέν, ὡς ἔοικεν, ἡ ἀρετὴ „πρωταγωνιστεῖ πράξεως ἑκάστης, παρα καλεῖ δὲ καὶ τὰς „ἄλλας καὶ συντείνει πρὸς τὸ τέλος.“ . . .

„Τοῖς Στωικοῖς μήτε τι φαῦλον ἀρετῇ προσεῖναι, μήτε „κακίᾳ χρηστὸν ἀξιοῦσιν, ἀλλὰ πάντως μέν ἐν πᾶσιν „ἁμαρτωλὸν εἶναι τὸν ἀμαθῆ, περὶ πάντα δ'αὖ κατορθοῦν „τὸν ἀστεῖον.[1])“

„Qualis ratio est, tales actiones sunt, ergo omnes pares „sunt . . .“

„Virtutes omnes, ut dicitis, pares sunt.[2])“

„Itaque consentaneum est his, quae dicta sunt, ratione „illorum, qui illum bonorum finem, quod appellamus „extremum, quod ultimum, crescere putent posse, iisdem „placere esse alium alio etiam sapientiorem, itemque „alium magis alio vel peccare vel recte facere, quod „nobis non licet dicere, qui crescere bonorum finem „non putamus. Ut enim qui demersi sunt in aqua nihilo „magis respirare possunt, si non longe absunt a summo, „ut iam iamque possint emergere, quam si etiam tum „essent in profundo, nec catulus ille, qui iam appro„pinquet ut videat, plus cernit quam is, qui modo est „natus, item qui processit aliquantum ad virtutis ha-

---

[1]) Plut. de rep. Stoic. 13; de fort. Alex. I. 332 D.; de aud. poet. 6.
[2]) Senec. ep. 66, 33; 113, 16.

„bitum nihilo minus in miseria est quam ille, qui nihil „processit.[1]"

Persium versibus Sat. V, 199, sqq. idem expressisse facile invenies. Ad verba: „Nil tibi concessit ratio", ex versibus praecedentibus addendum est: „sin tu quidem non es sapiens"; sapienti enim omnia facere licet; quidquid agit rectum est atque honestum; sed ne minimum quidem licet insipienti, quin peccet; quare vel digitum exserere, quod apud Stoicos usitatissimum est exemplum, ut significent rem vilissimam, insipienti vitio, sapienti virtuti est.

„*Οἷον ἀνδρείως τὸν δάκτυλον ἐκτεῖναι.*[2]"

„*Ἡ φιλοσοφία φησίν, ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν* „*εἰκῇ προσήκει.*[3])

„*Διὰ τί οὐ ζητοῦμεν τὸν κανόνα καὶ ἀνευρίσκομεν καὶ* „*ἀνευρόντες λοιπὸν ἀπαραβάτως χρώμεθα δίχα αὐτοῦ* „*μηδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνοντες.*[4]" —

„*Οὐδὲ τὸν δάκτυλον ὡς ἔτυχε σαλεύειν τῷ σοφῷ ὁ λόγος* „*ἐπιτρέπει, ὡς ὁμολογοῦσιν οἱ Στωικοί.*[5]"

Quum igitur insipiens digitum exserens peccet, nihil interesse potest inter actionem magni aut parvi aut nullius momenti; vel maximum, vel minimum a sapiente peractum

---

[1]) Cicer. de fin. III, 14, 48; cf. IV, 27, 75; 29, 55; Tusc. III, 5, 10. parad. 4.

[2]) Plut. de rep. Stoic. 13.

[3]) Epict. fragm. 53 ed. Schweigh. p. 193.

[4]) Arrian. diss. II, 11, 17.

[5]) Clem. Al. paedag. II, 10 p. 82 ed. Sylb.; cf. Plut. de rep. Stoic. 26; 24; Cicer. de fin. III, 17, 57; Stob. ecl. II, 143.

bonum est, ab insipiente malum; neque media sunt inter bona et mala; in stulto „nihil haeret recti“, nec „quum sis cetera fossor, tres tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli. Vocabulum „recti“, quod hoc loco et I, 48:

„Sed recti finemque extremumque esse recuso,“

legitur, e Stoicorum schola sumpsit Persius.

„Illud autem officium, quod rectum iidem (sc. Stoici) „appellant, perfectum atque absolutum est et, ut iidem „dicunt, omnes numeros habet.[1]“

Rectum est Stoicorum *κατόρθωμα*:

„Atque etiam alia divisio est officii. Nam et medium „quoddam officium dicitur et perfectum. Perfectum „officium rectum, opinor, vocemus, quoniam Graeci „*κατόρθωμα*, hoc autem commune officium *καθῆκον* vo„cant. Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id „officium perfectum esse definiant, medium autem offi„cium id esse dicunt, quod cur factum sit ratio pro„babilis reddi possit.[2]“

„*Τῶν δὲ καθηκόντων τὰ μὲν εἶναί φασι τέλεια, ἃ δὴ καὶ* „*κατορθώματα λέγεσθαι· κατορθώματα δ' εἶναι τὰ κατ'* „*ἀρετὴν ἐνεργήματα, οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν.*“... „*Κατορθώματα μὲν τὰ τοιαῦτα, φρονεῖν, σωφρονεῖν,* „*δικαιοπραγεῖν κ. τ. λ.*“ . . .

„*Ἔτι οὐχὶ κατόρθωμα μὲν μεῖζον καὶ ἔλαττον γίγνεσθαι.*[3]) —

---

[1]) Cicer. de off. III, 3, 14.
[2]) Ibid. I, 3, 8.; cf. de fin III, 6, 14.
[3]) Stob. ecl. II, 158. 192 et 220.

„Τὸ κατόρθωμά φασι νόμου πρόςταγμα εἶναι, τὸ δ' ἁμάρ-
„τημα νόμου ὀπαγόρευμα.[1])"

Casaubonus, quem alii sequuntur, etiam saltandi artis imaginem ex Stoicorum scriptis in hunc Persii locum fluxisse contendit p. 287.

„De off. III, 3, 14: „Illud autem officium" etc., ait „diserte Tullius ita loqui solitos esse Stoicos, ut Per-„sium eo respexisse vero sit simillimum.[2])"

Ita quum Persio placuisse appareat, inter virtutem et vitia, sapientiam et stultitiam nihil esse medium, eum omnes, qui sapientiae essent expertes, stultos, immo insanos appellare necesse erat.

— „Quo deinde, insane, ruis? quo?" . . .
„Quid istas
„Succinis ambages? tibi luditur; effluis amens.[3])"

„Duos ex constitutione Stoica accipe ingratos; alter „est ingratus, quia stultus est. Stultus etiam malus „est." . . .

„Stultus omnia vitia habet." . . .

„Nam, ut diximus, omnes stulti mali sunt.[4])" —

„Nec minus illud acute, quod animi adfectionem lumine „mentis carentem nominaverunt amentiam eamdemque „dementiam. Ex quo intelligendum est eos, qui haec

[1]) Plut. de rep. Stoic. 11.
[2]) Cf. Senec. ep. 71. 95.
[3]) Satir. V, 143; cf. III, 116 sqq.; ibid. III, 20.
[4]) Senec. de bene. IV. 26, 2; 27; V, 15.

„rebus nomina posuerunt, sensisse hoc idem, quod a „Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, omnes „insipientes esse non sanos. [1])“

„Ἔτι δὲ λέγουσι πάντα φαῦλον μαίνεσθαι, ἄγνοιαν ἔχοντα „αὐτοῦ καὶ τῶν καθ' αὑτόν, ὅπερ ἐστὶ μανία. [2])“

Sola virtus homines beatos reddit:

„Αὐτάρκη τ' εἶναι αὐτὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, καθά φησι „Ζήνων καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ἀρετῶν καὶ „Ἑκάτων ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ ἀγαθῶν. „Εἰ γάρ,“ φησιν, „αὐτάρκης ἐστὶν ἡ μεγαλοψυχία πρὸς τὸ πάντων ὑπεράνω „ποιεῖν, ἔστι δὲ μέρος τῆς ἀρετῆς, αὐτάρκης ἔσται καὶ „ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. [3])“

„Ergo in virtute posita est vera felicitas — nihil co- „geris, nullo indigebis, liber eris, tutus, indemnis. Ni- „hil frustra temptabis, nihil prohibeberis, omnia tibi ex „sententia cedent. [4])“

„Et si omne beatum est, cui nihil deest et quod in „suo genere expletum atque cumulatum sit, idque vir- „tutis est proprium, certe omnes virtutis compotes „beati sunt. [5])“

---

[1]) Cicer. Tusc. III, 5, 10.
[2]) Stob. ecl. II, 124.
[3]) Diog. Laert, VII, 127.
[4]) Senec. de vit. beat. 16; cf. ep. 85, 17.
[5]) Cicer. Tusc. V, 13, 39.

Pessimum quemque quum iam redire ad virtutem nequeat, tamen desiderio gravissimo oculos convertere ad eam, quae sola afferat felicitatem, Persius describit:

„Magne pater divum, saevos punire tyrannos
„Haud alia ratione velis, quum dira libido
„Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
„Virtutem videant intabescantque relicta.
„Anne magis Siculi gemuere aera iuvenci,
„Et magis auratis pendens laquearibus ensis
„Purpureas subter cervices terruit, imus,
„Imus praecipites, quam si sibi dicat et intus
„Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor? [1])“

Vitia homines miseros reddunt:

„*Τῶν δ' ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι τελικά, τὰ δὲ ποιητικά —*
„*αἱ δ' ἀρεταὶ πᾶσαι καὶ ποιητικά ἐστιν ἀγαθὰ καὶ τελικά·*
„*καὶ γὰρ ἀπογεννῶσι τὴν εὐδαιμονίαν καὶ συμπληροῦσι*
„*μέρη αὐτῆς γινόμενα· ἀνάλογον δὲ καὶ τῶν κακῶν τὰ*
„*μὲν εἶναι ποιητικὰ τῆς κακοδαιμονίας, τὰ δὲ τελικά —*
„*αἱ δὲ κακίαι πᾶσαι καὶ ποιητικὰ καὶ τελικά ἐστι κακά.* [2])“

„Omnis stultitia laborat fastidio sui. [3])“

„Sed et Stoici, quos secutus est (Tullius), negant sine „virtute effici quemquam beatum posse. [4])“ —

„Atque quum perturbationes animi miseriam, sedationes „autem vitam efficiant beatam etc. [5])“

---

[1]) Satir. III, 35 sqq.
[2]) Stob. ecl. II, 102.
[3]) Senec. ep. 9. 22.
[4]) Lactant. div. inst. III, 12.
[5]) Cicer. Tusc. V, 15, 43.

Et Persius:

„O miser inque dies ultra miser, huccine rerum
venimus?" . . .

„Discite, io miseri, et causas cognoscite rerum!" . . .

„Tange, miser, venas et pone in pectore dextram![1])"...

Virtus sui ipsius, non utilitatis causa expetenda est:

„*Καὶ αὐτὴν δι' αὐτὴν εἶναι ἀρετήν, οὐ διὰ φόβον ἢ*
„*ἐλπίδα, ἤ τι ἔξωθεν.*[2])

„Itaque erras, cum interrogas, quid sit illud, propter
„quod virtutem petam: quaeris enim aliquid supra
„summum. Interrogas, quid petam ex virtute? ipsam;
„nihil enim habet melius, ipsa pretium sui.[3])"

Negat Persius, poetarum etiam veram gloriam e vulgi sententia pendere, in hac etiam arte sapientiae vocem probans, neque scientiam tolli propterea censet, si forte alteri sit ignota:

„Sed recti finemque extremumque esse recuso
„Euge tuum et belle." . . .
— — „O mores! usque adeone
„Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?[4])"

Virtutis bonique amor nobis innatus naturaque inditus est, quum natura ea, quae bona sunt, expetamus:

---

[1]) Satir. III, 15. 66. 107; cf. 35—43 (vid. p. 72) et satir. V, 63 sqq. vid. p 8.

[2]) Diog. Laert. VII, 85; cf. Sext. Emp. adv. eth. sect. 99. 100; Arrian. diss. III, 7.

[3]) Senec. de vit. beat. 9, 4; cf. de clem. 1, 1; ep. 74; 76, 22; 81, 19; 94, 11.

[4]) Satir. I, 48 sq.; 26 sq.

7*

„Facile est auditorem concitare ad cupiditatem recti; „omnibus enim natura fundamenta dedit semenque „virtutum. Omnes ad omnia ista nati sumus; cum „inritator accessit, tunc illa animi bona veluti sopita „excitantur“ . . .

„Omnia vitia contra naturam pugnant, omnia debitum „ordinem deserunt.[1]“

---

[1]) Senec. ep. 108, 8; 122, 5.; cf. ep. 118, 12; 76, 9—11; de ben. 17, 2. Pers. satir. III, 35–43; vid. p. 72. V, 96 seq. vid. p. 77.

Caput IV.

De diis atque eorum cultu.

Stoicos quae de diis senserint, in physica philosophiae parte tractasse iam supra memoravimus.

Unum deum statuebant, quem tamen alius alio modo interpretabatur.

Aethera Stoicorum deum exhibet Eusebius:[1])

„Θεός ἐστι πῦρ νοερόν." —

Alii:

„Οἱ Στωικοὶ νοερόν θεὸν ἀποφαίνονται πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ
„βαδίζον ἐπὶ γενέσει κόσμου — καὶ πνεῦμα ἐνδιῆκον δι'
„ὅλου τοῦ κόσμου.[2])"

„Ita relinqui nihil praeter ignem, a quo rursus animante
„ac deo renovatio mundi fieret atque idem ornatus
„oreretur . . ."

„Atque hic idem (Zeno) alio loco aethera deum dicit."

---

[1]) Praep. evang. XV, 16.
[2]) Plut. de plac. philos. I, 7.

„Zenoni et reliquis fere Stoicis aether videtur summus „deus, mente praeditus, qua omnia regantur; Cleanthes, „qui quasi maiorum est gentium Stoicus, Zenonis au-„ditor, Solem dominari et rerum potiri putat.[1]" — „Cleanthes et Anaximenses aethera dicunt esse sum-„mum deum.[2]"

Alias de uno deo sententias habes his locis:

„Zeno autem naturalem legem divinam esse censet eam-„que vim obtinere recta imperantem prohibentemque „contraria.[3]" —

„Chrysippus naturalem vim divina ratione praeditam, „interdum divinam necessitatem, item Zeno divinam „naturalemque legem deum nuncupat.[4]" —

„Ἕν τ' εἶναι θεὸν καὶ νοῦν καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία, „πολλαῖς τ' ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι. ... „Οὕτω δὲ καὶ τὸν ὅλον κόσμον ζῷον ὄντα καὶ ἔμψυχον καὶ λογικὸν ἔχειν ἡγεμονικὸν μὲν τὸν αἰθέρα, καθά φησιν „Ἀντίπατρος.[5]"

„Διογένης καὶ Κλεάνθης καὶ Οἰνοπίδης τὴν τοῦ κόσμου „ψυχὴν θεὸν εἶναί φασιν.[6]"

---

[1]) Cicer. de nat. deor. II, 46, 118; I, 14, 36; acad. II, 41, 126.
[2]) Lactant. div. instit. I, 5.
[3]) Cicer. de nat. deor. I, 14, 36.
[4]) Lactant. div. inst. I, 5.
[5]) Diog. Laert. VII, 135. 139.
[6]) Stob. ecl. I. 58.

„Nam interdum sic confundunt (Stoici), ut sit deus ipse „mens mundi et mundus sit corpus dei."

. . . „Siquidem Zeno rerum naturae dispositorem atque „opificem universitatis *λόγον* praedicat, quem et fatum „et necessitatem rerum et deum et animum Jovis nun- „cupat.[1]" —

„*Θεὸν δὲ καὶ τὸν κόσμον καὶ τοὺς ἀστέρας καὶ τὴν γῆν* „*τόν τ' ἀνωτάτω πάντων νοῦν ἐν αἰθέρι.*[2]"

„Natura, inquit, haec mihi praestat. Non intelligis te, „cum hoc dicis, mutare nomen dei? Quid enim aliud „est natura quam deus et divina ratio toti mundo „partibusque eius inserta[3])?"

Has omnes dei definitiones eodem redire ipsi Stoici dicebant[4]):

„Horum omnium sententia, quamvis sit incerta, eodem „tamen spectat, ut providentiam unam esse consentiant; „sive enim natura, sive aether, sive ratio, sive mens, „sive fatalis necessitas, sive divina lex, sive quid aliud „dixeris, idem est, quod a nobis dicitur deus.[5]"

„Naturam voca, fatum, fortunam, omnia eiusdem sunt „nomina varie utentis sua potestate.[6]"

---

[1]) Lactant. l. c. VII, 3; IV, 9; cf. Senec. qu. nat. praef. 14; Diog. Laert. VII, 135 (vid. p. 102).

[2]) Plut. de plac. phil. I, 73.

[3]) Senec. de ben. IV, 7; cf. quaest. nat. II, 45.

[4]) Cf. Diog. Laert. l. c.

[5]) Lactant. l. c. I, 5.

[6]) Senec. de ben. IV, 8, 3.

Deus igitur Stoicorum mens atque vis divina est, quae omnia procreavit atque sustinet, lex, qua omnia facta sunt atque fiunt.

De uno deo semel tantum loquitur Persius:

„Quem te deus esse iussit. [1])“

Sed hoc uno loco se secutum esse Stoicorum placitum, deum vim illam divinam esse, quae omnia procreaverit atque tueatur, jam satis demonstrasse mihi videtur. Illa enim verba hominem deo subditum esse indicant; legem vero nobis dare deus omnino non potest, nisi nos procreavit; creatorem autem creatos aliquando neglecturum neque illi homines, quibus legem dederit, perpetuae futuros esse curae accipere non possumus. Persius igitur illum versum scribere non poterat nisi consentiens cum Stoicorum dogmate deum esse vim illam divinam, qua omnia facta essent atque fierent pro certo habebat.

Hunc deum saepissime Jovem appellabant Stoici eique quum de pluribus diis loquebantur summum inter omnes deos locum tribuebant:

„Λέγει γοῦν Χρύσιππος ὅταν ἐκπύρωσις γένηται μόνον
„ἄφθαρτον ὄντα τὸν Δία τῶν θεῶν.

„Ἥλιος μὲν γὰρ καὶ σελήνη καὶ οἱ αλλοι παρα-
„πλήσιον ἔχοντες λαγον γενητοί εἰσιν, ὁ δὲ Ζεὺς ἀΐδιός
„ἐστιν.“ . . .

---

[1]) Satir. III, 71.

„Τροφῇ τε οἱ μὲν ἄλλοι θεοὶ χρῶνται, παραπλησίως „συνεχόμενοι δι᾽ αὐτήν. ὁ δὲ Ζεὺς καὶ ὁ κόσμος καθ᾽ „ἕτερον τρόπον ἀναλισκομένων καὶ ἐκ πυρὸς γιγνο- „μένων.[1]" —

„Ζεὺς μὲν οὖν φαίνεται (Χρυσίππῳ) ὠνομάσθαι ἀπὸ τοῦ „πᾶσι δεδωκέναι τὸ ζῆν, Δία δὲ αὐτὸν λέγουσιν, ὅτι πάν- „των ἐστιν αἴτιος καὶ δι᾽ αὐτὸν πάντα.[2]"

„Quare ergo, id fulmen quod solus Jupiter mittit, pla- „cabile est, perniciosum id, de quo deliberavit et quod „aliis quoque dis auctoribus misit? quia Jovem, id est „regem, prodesse etiam solum oportet, nocere non, nisi „cum pluribus visum est.[3]" —

„— ea scilicet consuetudine, qua solent Jovem pro „deo accipere (Stoici).[4]"

Persius quoque Jovis saepissime facit mentionem talemque ei tribuit potestatem honoremque, ut facile pro uno illo deo positus esse videatur.

Jupiter omnia scit auditque:

— — „Sed Jupiter audiet.[5]"

Jupiter negat hominum preces et adnuit eis:

---

[1]) Plut. de Communib. Notitiis adv. Stoic. 36; de Stoic. rep. 38; Diog. Laert. VII, 135 vid. p. 102.

[2]) Stob. ecl. I. 48.

[3]) Senec. quaest. nat. II, 43, 1.

[4]) Laitant. l. c. IV, 9.

[5]) Satir. V, 137.

— — „Negato,
„Jupiter, haec illi, quamvis te albata rogarit.[1]"
Jupiter punit flagitia.[2])

Jupiter legem tibi posuit vivendi; quare virtutem sequi neque voluptatibus teneri debes, si „cum Jove" vivere tendis.[3])
Vivere enim cum Jove (ὁ κατὰ θεὸν βίος) est vivere Jove amico, ut sequaris, quae iubeat.[4])

„Συζῆν θεοῖς· συζῇ δὲ θεοῖς ὁ συνεχῶς δεικνὺς αὐτοῖς
„τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἀρεσκομένην μὲν τοῖς ἀπονεμομένοις,
„ποιοῦσαν δέ, ὅσα βούλεται ὁ δαίμων, ὃν ἑκάστῳ προσ-
„τάτην καὶ ἡγεμόνα ὁ Ζεὺς ἔδωκεν.[5])"

„Haec (mores bene instituti) mea sunt, teneo, quum
„vere dixeris, esto Liberque ac sapiens, praetoribus ac
„Jove dextro.[6])"

In explicandis scholae decretis deum quidem unum prodebant Stoici causam efficientem huius universi, sed palam quum loquebantur cum vulgo et saepe deos deorumque nomina in ore habebant. Quo efficitur, ut certam deos vel deum distinguendi rationem non inveniamus apud Stoicos. Apud Ciceronem Chrysippus uno tenore de deo atque de diis loquitur:

---

[1]) Satir. II, 39; cf. II, 42 sqq. vid. p. 118.

[2]) Satir. III, 35 sqq. vid. p. 98.

[3]) Ibid. V, 137 sqq. vid. p. 74.

[4]) Cf. Senec. de vit. beat. 15, 5; de ben. IV, 25, 1; VII, 31, 2; ep. 16, 5.

[5]) Antonin. V, 27.

[6]) Satir. V, 144 sqq.; Senec. de prov. V, 8; ac Helv. de consc. 8, 3; nat. qu. II, 45, 1; de ben. IV, 8, 3, ep. 16, 4, 5; Diog. Laert. VII, 149.

„Atqui res caelestes omnesque eae, quarum est ordo „sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur „id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem „quid potius dixeris quam deum? Etenim si di non „sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? „In eo enim solo est ratio, qua nihil potest esse prae„stantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni „mundo melius esse quam se putet, desipientis adro„gantiae est. Ergo est aliquid melius. Est igitur pro„fecto deus.[1]“

„*Εἶναι δὲ τὸν μὲν δημιουργὸν τῶν ὅλων καὶ ὥσπερ πα„τέρα πάντων κοινῶς τε καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ τὸ διῆκον „διὰ πάντων, ὃ πολλαῖς προσηγορίαις προσονομάζεσθαι „κατὰ τὰς δυνάμεις.*“ . . .

„*Ἕν τε εἶναι θεὸν καὶ νοῦν καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία, „πολλαῖς τ' ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι.*[2]“
„Quoties voles tibi licet aliter hunc auctorem rerum „compellare.[3]“

Persius in satiris uno excepto loco de pluribus diis loquitur:

„Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
„Jupiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
„Emeris auriculas? . . .“

---

[1]) De nat. deor. II, 6, 16; cf. II, 23, 60.

[2]) Diog. Laert. VII, 147. 135.

[3]) Senec. de ben. IV, 7.

„Ast ego nutrici non mando vota; negato,
„Jupiter, haec illi, quamvis te albata rogarit[1]) . . .“
Et:
„Magne pater divum saevos punire tyrannos
„Haud alia ratione velis etc. . . .“
„Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro.[2])“

Contra eas, quae in vulgo erant fabulae de diis, nihil disserebant Stoici, quod plebis opinioni repugnaret, quamquam tantum abfuit, ut hasce ineptias pro veris haberent, ut fabulas potius contemnerent atque ἀλληγορικῶς interpretarentur:

„Inde etiam poetarum furor fabulis humanos errores „alentium, quibus visus est Jupiter voluptate concubitus „delenitus duplicasse noctem: quid aliud est vitia nostra „incendere quam auctores illis inscribere deos et dare „morbo exemplo divinitatis excusatam licentiam[3])“

„Alia quoque ex ratione et quidem physica magna fluxit „multitudo deorum, qui induti specie humana fabulas „poetis suppeditaverunt, hominum autem vitam super„stitione omni referserunt. Atque hic locus a Zenone „tractatus post a Cleanthe et Chrysippo pluribus verbis „explicatus est. Nam vetus haec opinio Graeciam opple„vit scilicet exsectum Caelum a filio Saturno, vinctum „autem Saturnum ipsum a filio Jove. Physica ratio „non inelegans inclusa est in impias fabulas etc. . . .“

---

[1]) Satir. II, 28 sq.; 39; sqq. vid. p. 118. Cf. ibid. 62 seq. vid. p. 116; 71 sq. vid. ibid.

[2]) Satir. III. 35; IV, 27; cf. V, 114; 137; 186.

[3]) Senec. de brev. vit. 16, 5.

„Multae autem aliae naturae deorum ex magnis bene-„ficiis eorum non sine causa et a Graeciae sapientissimis „et a maioribus nostris constitutae nominataeque sunt....“ „Videtisne igitur, ut a physicis rebus bene atque utiliter „inventis tracta ratio sit ad commenticios et fictos deos? „quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos „et superstitiones paene aniles.[1])“

Etiam in Persii satiris nihil est, quod opiniones atque fabulas plebis irrisu sectetur, quamquam ubique speciem allegoriae prae se ferunt verba:

— — „O si
„Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
„Hercule! . . .“
„Sum tibi Mercurius; verio deus huc ego ut ille
„Pingitur . . .“
„Aurum vasa Numae Saturniaque impulit aera . . . .“
Et:
„Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro. . . .“
Et:
„Dis igitur genioque ducis centum paria ob res
„Egregie gestas induco.[2])“

Superstitionem Persium deridere[3]) iam supra pag. 81 vidimus.

Stoici de diis sublime cogitabant:

„Principatum autem id dico, quod Graeci ἡγεμονικόν

[1]) Cicer. de nat. deor. II. 24, 63. 23, 60. 28, 70.

[2]) Satir. II, 11; VI, 62; II, 59; IV, 27; VI, 48. Cf. II, 44vid. p. 118; 69 sq. vid. 116; V, 30 sq. vid. p. 88; 151 p. 31.

[3]) Satir. V, 179, 188.

„vocant, quo nihil in quoque genere nec potest nec „debet esse praestantius. Ita necesse est illud etiam, „in quo sit totius naturae principatus, esse omnium „optimum omniumque rerum potestate dominatuque „dignissimum. . . ."

„Nihil est autem praestantius deo; ab eo igitur mundum „necesse est regi. Nulli igitur est naturae obediens aut „subjectus deus —. Sequitur, ut eadem sit in iis, quae „humano in genere, ratio, eadem veritas utrobique sit „eademque lex, quae est recti praeceptio pravique de-„pulsio.[1])"

„*Τῶν αἰσχρῶν τὸ θεῖον παραίτιον γίγνεσθαι οὐκ εὔλογόν „ἐστιν· ὃν τρόπον γὰρ οὔτε νόμος τοῦ παρανομεῖν παραί-„τιος ἂν γένοιτο, οὔτε οἱ θεοὶ τοῦ ἀσεβεῖν, οὕτως εὔλογον „μηδ' αἰσχροῦ μηδενὸς εἶναι παραιτίους.*[2])"

Ita Persius quoque deos non participes esse hominum vitiorum neque iis rebus moveri, quibus homines solent, docet:

„O curvae in terris animae et coelestium inanes!
„Quid iuvat, hoc templis nostros immittere mores,
„Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa[3])?"

Diis nihil magis placet quam pura atque sincera hominum vita.[4])

---

[1]) Cicer. de nat. deor. II, 11, 29; 30, 77.
[2]) Plut. de rep. Stoic. 33.
[3]) Satir. II, 61 sqq.
[4]) Satir. II, 71 sqq. vid. p. 116; V, 138 sq. vid. p. 74.

Deus omnia efficere potest:

„Vos enim ipsi dicere soletis (Stoici), nihil esse, quod „deus efficere non possit et quidem sine ullo labore; „ut enim hominum membra nulla contentione mente „ipsa ac voluntate moveantur, sic numine deorum omnia „fingi, moveri mutarique posse. [1]"

„Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia. [2]"

Persius:

„Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis [3]?"

Deus ubique est praesens, omnia quae fiunt scit:

„Nihil deo clusum est, interest animis nostris et co„gitationibus mediis intervenit. . . ."

„Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium „non habebit; scit enim ille omnia, in cuius conspectu „vivimus, nec si universos homines celare possumus, „cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. — „nam nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus „deo. . . ."

„Sapientis quoque viri sententiam negatis posse mutari; „quanti magis dei, cum sapiens, quid sit optimum in „praesentia sciat, illius divinitati omne praesens sit [4]?"

Persius:

„Verte aliquid; iura! — Sed Jupiter audiet. [5]"

---

[1]) Cicer. de nat. deor. III, 39, 92.
[2]) Senec. ep. 31, 10.
[3]) Satir. II, 20.
[4]) Senec. ep. 83, 1; fragm. 24 (apud Lact. div. inst. VI, 24); quaest. nat. II, 34.
[5]) Satir. V, 137.

Deus est justus judex, qui mala punit odioque persequitur:

„Zeno autem naturalem legem divinam esse censet eam„que vim obtinere recta imperantem prohibentemque „contraria.[1]"

„Ἀλλὰ μὴν τὸν θεὸν κολάζειν φασὶν (οἱ Στωικοὶ) τὴν „κακίαν καὶ πολλά ποιεῖν ἐπὶ κολάσει τῶν πονηρῶν.[2])

Persius:

„Quis potior index (Jove) . . .?[3]"

Deus benignus est erga homines:

„Errat, si quis illos putat nocere nolle; non possunt, „nec accipere iniuriam queunt nec facere; laedere enim „laedique coniunctum est.[4]"

Providentiam deorum, qua omnia regerentur atque administrarentur Stoici maxime defendebant contra Epicureos, qui mundum curae esse diis omnino negarent:

„Τὸν δὴ κόσμον διοικεῖσθαι κατὰ νοῦν καὶ πρόνοιαν εἰς „ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ καθάπερ ἐφ' ἡ„μῶν τῆς ψυχῆς (φασιν οἱ Σεωικ οἱ).[5]"

„Dico igitur providentia deorum mundum et omnes „mundi partes et initio constitutas esse et omni tempore „administrari.[6]"

---

[1]) Cicer. de nat. deor. I, 14, 36.

[2]) Plut. de rep. Stoic. 35.

[3]) Satir. II, 20; cf. III, 35 sqq; vid p. 98.

[4]) Senec. ep. 95, 48; cf. de ira II, 27; de cons. 12, 4; de ben. VII, 1, 7; 31, 4; I, 1, 4; quaest. nat. V, 18, 5; 13—15. Pers. satir. II, 20 vid. p. 111.

[5]) Diog. Laert. VII, 138.

[6]) Cicer. de nat. deor. II, 30, 75; cf. ibid. 36; 38; 39; 40; 44; 51—53

„Di non possunt videri nescivisse, quid effecturi essent,
„cum omnibus alimenta protinus et auxilia providerint.—
„Cogitavit nos aute natura, quam fecit, nec tam leve
„opus sumus, ut illi potuerimus excidere.[1]“

Persium de providentia divina idem sensisse cum Stoicis ex satirae II. argumento, quo docet, quo modo preces instituendae sint, apparet; si enim providentia sublata deos res humanas non curare accipis, nihil habes, quod precibus votisque eos adeas.

E Stoicorum de providentia dogmate manat praeceptum deos es colendos atque orandos; pietatem in eos revocabant ad justitiae virtutem, quum *εὐσέβειαν* hominis justi esse dicerent:

„*Τῇ δὲ δικαιοσύνῃ ὑποτάττεσθαι τὴν εὐσέβειαν.*[2]“

Addit Stobaeus, qua ratione ex sententia Stoicorum di colendi sint:

„*Λέγουσι δὲ καὶ ἱερέα μόνον εἶναι τόν σοφόν, φαῦλον*
„*δὲ μηδένα.*[3]“
„*Ἔτι δόγμα Ζήνωνός ἐστιν ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν·*
„*ἱερὸν γὰρ μὴ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οὐκ ἔστιν· οἰκοδό-*
„*μων δ' ἔργον καὶ βαναύσων οὐδέν ἐστὶ πολλοῦ ἄξιον·*
„*οἱ δὲ ταῦτ' ἐπαινοῦντες, ὡς εὖ ἔχοντα, μυοῦνται μὲν*
„*ἐν ἱεροῖς· ἀναβαίνουσι δ' εἰς ἀκρόπολιν, προσκυνοῦσι*

---

[1]) Senec. de ben. VI, 23, 5; cf. de provid. I, 1, 1—4; quaest. nat. II, 45, 2; ep. 16, 6; 74, 10.

[2]) Stob. ecl. II, 107.

[3]) Ibid. 122.

„δὲ τὰ ἕδη καὶ στεφανοῦσι τοὺς ναούς, οἰκοδόμων ὄντας „ἔργα καὶ βαναύσων ἀνθρώπων.[1])“

„Τῆς περὶ τοὺς θεοὺς εὐσεβείας ἴσθι ὅτι τὸ κυριώτατον „ἐκεῖνό ἐστιν, ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ αὐτῶν ἔχειν, ὡς „ὄντων καὶ διοικούντων τὰ ὅλα καλῶς καὶ δικαίως καὶ „σαυτὸν εἰς τοῦτο κατατεταφέναι τὸ πείθεσθαι αὐτοῖς „καὶ εἴκειν πᾶσι τοῖς γενομένοις καὶ ἀκολουθεῖν ἑκόντα, ὡς ὑ„πὸ τῆς ἀρίστης γνώμης ἐπιτελουμένοις· οὕτω γὰρ οὐ μέμψη „ποτὲ τοὺς θεούς, οὔτε ἐγκαλέσεις ὡς ἀμελούμενος.“ „Ἄλλως δὲ οὐχ οἷόν τε τοῦτο γίγνεσθαι, ἐὰν μὴ ἄρῃς „ὑπὸ τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν καὶ ἐν τοῖς ἐφ' ἡμῖν μόναις θῇς „τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ καλόν, ὡς ἄν γέ τι ἐκείνων ὑπολάβῃς „ἀγαθὸν ἢ κακόν· πᾶσα ἀνάγκη, ὅταν ἀποτυγχάνῃς ὧν „θέλεις καὶ περιπίπτῃς οἷς μὴ θέλεις, μέμψασθαί σε καὶ „μισεῖν τοὺς αἰτίους. — Σπένδειν δὲ καὶ θύειν καὶ „ἀπάρχεσθαι κατὰ τὰ πάτρια, ἑκάστοτε προσήκει καθαρῶς „καὶ μὴ ἐπισεσυρμένως, μηδὲ ἀμελῶς, μηδέ γεγλίσχρως, „μηδὲ ὑπὲρ δύναμιν.[2])

„Τῷ ἐν τῷ κόσμῳ τὸ κράτιστον τίμα· ἔστι δὲ τοῦ τὸ „πᾶσι χρώμενον καὶ πάντα διέπον.“ . . .

„Προσέτι δὲ πολλὰ καὶ τοῖς θεοῖς μέμφεσθαι· ἡ δὲ „τῆς ἰδίας διανοίας αἰδὼς καὶ τιμὴ σεαυτῷ τε ἀρεστόν

---

[1]) Plut. de rep. Stoic. 6.

[2]) Epict. man. 31.

„σε ποιήσει, καὶ τοῖς κοινωνικοῖς εὐάρμοστον, καὶ τοῖς „θεοῖς σύμφωνον, τοῦτ' ἔστιν ἐπαινοῦντα, ὅσα ἐκεῖνοι „διανέμουσι καὶ διατετάχασιν.[1]"

„Cultus autem deorum est optimus idemque castissimus „atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos sem„per pura, integra, incorrupta et mente et voce ve„neremur. Non enim philosophi solum, verum etiam ma„jores nostri superstitionem a religione separaverunt.[2]),

„Sicut ne in victimis quidem, licet opimae sint auro„que praefulgeant, deorum est honor; sed pia ac recta „voluntate venerantium, itaque boni etiam farre ac „fitilla religiosi sunt, mali rursus non effugiunt im„pietatem, quamvis aras sanguine multo cruenta„verint.[3])"

Habes fere, quae Stoicis de pietate erga deos eorumque cultu placuerunt.

Sicut impias illas de diis opiniones plebis reiiciebant, ita etiam sublimius de eorum cultu cogitabant, quam exspectari poterat ab hominibus divinae nostrae religionis expertibus. Gratum enim diis non esse censebant honorem, quo afficerentur eorum simulacra atque templa, sed verum cultum non positum esse nisi in pio, grato puroque animo; diis non placere res oblatas sed animum quo offerrentur.

---

¹) Anton. V, 21; VI, 16; cf. Arrian. diss. I, 16.
²) Cicer. de nat. deor. II, 27, 71.
³) Senec. de ben. I, 6, 3; cf. ep. 95, 47—50; fragm. 123.

Persius satiram secundam refersit totam de precibus atque mente, qua affecti esse debeamus erga deos. Inde animi eius sinceritas elucet, qua ad sublimes Christianorum de diis opiniones prope accedit. Exhibet enim Persius deum nihil respicere res ipsas, quas ei offerimus, nihil preces votaque, nihil apparatum corporis, quo eum adimus; cor solum animumque ab eo examinari:

„Aurum vasa Numae Saturniaque impulit aera,
„Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.
„O curvae in terris animae et coelestium inanes!
„Quid iuvat, hos templis nostros immittere mores,
„Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
„Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo,
„Haec Calabrum coxit vitiato murice vellus,
„Haec baccam conchae rasisse et stringere venas
„Ferventis massae crudo de pulvere iussit.
„Peccat et haec, peccat: vitio tamen utitur; at vos
„Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
„Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae.
„Quin damus id superis, de magna quod dare lance
„Non possit magni Messallae lippa propago;
„Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
„Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
„Haec cedo ut admoveam templis, et farre litabo.[1])“

[1]) Satir. II, 59 sqq.

Compositum jus fasque animi idem est, quod Diogenes Laert. *διάθεσιν ὁμολογουμένην περὶ ὅλου τοῦ βίου* appellat.[1])

„Quare audaciter licet profitearis summum bonum esse „animi concordiam; virtutes enim ibi esse debebunt, „ubi consensus atque unitas erit; dissident vitia.[2])"

„Et ut corporis est quaedam apta figura membrorum „cum coloris quadam suavitate eaque dicitur pulchri-„tudo, sic in animo opinionum judiciorumque aequa-„bilitas et constantia cum firmitate quadam et sta-„bilitate virtutem subsequens aut virtutis vim ipsam „continens pulchritudo vocatur.[3])"

Quod attinet ad „sanctos recessus" conferendus est Seneca:

„Dissimilem te fieri multis oportet; dum tutum tibi non „est, ad te recedere, circumspice singulos; nemo est, „cui non satius sit, cum quolibet esse quam secum. „Tunc praecipue in te ipse recede, cum esse cogeris „in turba, si bonus vir, si quietus, si temperans; alioquin „in turbam tibi a te recedendum est.[4])"

Nil iuvat manus lavasse ad vota offerenda; ea sola a deo propitio audiuntur, quae vera bona a bonis hominibus sapientibusque expetuntur; mala vel inania quum flagitent insipientes, convicium faciunt deis, neque exspectare eos licet fore, ut audiantur.

---

[1]) VII, 90.
[2]) Senec. de vit. beat. VIII, 6.
[2]) Cicer. Tusc. IV, 13, 31; cf. III, 5, 9; de fin. III, 6, 21.
[4]) Ep. 25, 7; cf. de otio. I, 1. Cicer. de off. I, 69.

Saepius εἰρωνικῶς hominum stultitiam exagitat, qui mala poscunt deos vel inania v. g.:

„Mens bona, fama, fides, haec clare et ut audiat hospes:
„Illa sibi introrsum et sub lingua murmurat: „O si
„Ebulliat patruus, praeclarum funus.“ et: „O si
„Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
„Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
„Impello, expungam! namque est scabiosus, et acri
„Bile tumet. Nerio jam tertia conditur uxor!“ —
„Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
„Mane caput bis terque et noctem flumine purgas?...“

Et:

„Hunc optet generum rex et regina; puellae
„Hunc rapiant; quidquid calcaverit hic, rosa fiat!
„Ast ego nutrici non mando vota; negato,
„Jupiter, haec illi, quamvis te albata rogarit. [1]“

Pari modo vituperat eos, qui orant quidem res utiles expetendasque, quales sunt divitiae, valetudo firmitasque corporis; sed has preces vita et moribus ipso non adjuvant, valetudinem intemperantia luxuriaque subruunt, res familiares minuunt „extis et opimo ferto“ diis sine ullo fructu oblatis:

„Poscis opem nervis corpusque fidele senectae:
„Esto age; sed grandes patinae tuccetaque crassa
„Adnuere his superos vetuere Jovemque morantur.
„Rem struere exoptas caeso bove, Mercuriumque

[1]) Satir. II, 8-16; 37—40.

„Accersis fibra: da fortunare Penates,
„Da pecus et gregibus fetum! quo, pessime pacto,
„Tot tibi quum in flammas iunicum omenta liquescant?
„At tamen hic extis et opimo vincere ferto
„Intendit: iam crescit ager, iam crescit ovile,
„Iam dabitur, iam, iam! donec deceptus et exspes
„Nequicquam: fundo, suspiret, nummus in imo[1])!"

Modestiam deos adeuntibus adhibendam esse docet:

„Non tu prece poscis *emaci*.[2])"

Gravissime queritur, quod haec omnia iam non inveniuntur apud perversos aetatis homines; immo non inania tantum, sed mala et flagitia deos poscunt, ita ut quae deos orant, palam dicere non audeant.

Haec est „tacita acerra":

„At pona pars procerum tacita libabit acerra[3]),"

cui opponit sapientium „vivere aperto voto:"

„Haud cuivis promptum est murmurque humilesque
„susurros
„Tollere de templis et aperto vivere voto.[4])"

Difficultas, quae inde oritur, quod dii ipsi fato subjecti sunt, et Stoicos et Persium effugisse videtur.

Restat, ut de Stoicorum daemonibus pauca afferamus:

---

[1]) Satir. II, 41—51.
[2]) Ibid. II, 3.
[3]) Ibid. II, 5.
[4]) Ibid. II, 6 sq.; cf. *Senec.* ep. 10, 5; de ben. II, 1; *Anton.* III, 4; *Casaub.* ad. h. l.

„Φασὶ δ' εἶναι καί τινας δαίμονας ἀνθρώπων συμπάθειαν „ἔχοντας, ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων καὶ „ἥρωας, τὰς ὑπολελειμμένας τῶν σπουδαίων ψυχάς. [1]“

„Ἀλλὰ φαύλους μὲν δαίμονας οὐκ Ἐμπεδοκλῆς μόνον „ὑπέλιπεν, ἀλλὰ καὶ Πλάτων καὶ Ξενοκράτης καὶ Χρύ„σιππος.“ . . .

„Ἢ διὰ τὸ καθίστασθαι ἐπὶ τῶν τοιούτων δαιμόνια „φαῦλα, ἐν οἷς τῷ ὄντι γίνονται ἐγκλητέαι ἐμέλειαι· — „τὸ δὲ φαύλους δαίμονας ἐκ προνοίας ἐπὶ τὰς τοιαύτας „ἐπιστασίας καθίστασθαι πῶς οὐκ ἔστιν ἔγκλημα τοῦ „θεοῦ. [2]“

„Sepone in praesentia, quae quibusdam placent, uni„cuique nostrum paedagogum dari deum, non quidem „ordinarium, sed hunc inferioris notae ex eorum numero, „quos Ovidius ait „de plebe deos:“ ita tamen hoc se„ponas volo, ut memineris maiores nostros, qui cre„diderunt Stoicos fuisse: singulis enim et Genium et „Junonem dederunt. [3]“

Genii, quos Persius saepissime memorat. [4]) daemonibus fortasse adnumerandi sunt, quamquam dubitari potest, utrum Persius hanc vocem e vita communi, an e Stoicorum schola sumpserit.

---

1) Diog. Laert. VII, 151.
2) Plut. de def. orac. 17; de rep. Stoic. 37.
3) Senec. ep. 110, 1; cf. 90, 28; 95, 41.
4) Cf. Satir. II, 3; IV, 27; V, 151; VI, 19; 48.